PRÆLVDIVM

BELLI CIVILIS

INTER RIGOROSOS CREDITORES & calamitoſos debitores

SVPER CENSIBVS ET PENSIONIbus præteritorum annorum

QUOD

IN CATHOLICA ELECTORALI UNIVERSITATE Ingolſtadiana

SVB PRÆSIDIO

Nobilis Clariſſimi & Excellentiſſimi Domini

CASPARI MANZII IVRIVM DOCTORIS, REV:mi ATQVE ILLVST:mi PRINCIPIS EPISCOPI AVGVSTANI, NEC NON SERENISSIMI DVCIS Neoburgici Conſiliarij, & in eadem Vniuerſitate Profeſſoris Ordinarij

Publicè defendendum ſuſcipiet

IOANNES ACHATIVS A SEEAVV, IN EBENZWEYER ET MILLEITEN AVSTRIACVS.

MENSE IVLIO ANNO M. DC. XLII.

JNGOLSTADII,

Typis GREGORII HÆNLINI.

AVGVSTISSIMO CÆSARI

FERDINANDO TERTIO

ROMANORVM IMPERATORI

P. P.

PIO IVSTO CLEMENTI
OPT. MAX.

VITAM ET VICTORIAS.

IMmensum Neptuni Regnum inuecturi, Ducem ad clauum sedentem, classique habenas nunc retrahentem, nunc immittentem, ventis, procellis & tempestatibus quandántenus obsecundantem, sibi deligere consueuerunt. Sic Troës, in Latium tendentes, Æneam, Graij in Phrygiam ruentes Achyllem, Argonautæ in Colchida nauigantes fortissimum Ducem Iasonem, nauibus suis præfecerunt. Quod & ego mihi in vasto Iurisprudentiæ Oceano vela pandenti, imitandum censeo; útne phaselus mea fluctibus obruta syrtibus

impingat, vel eum, ad quem tendit, ſcopum non conſequatur. Quem ergo ad mare hoc emetiendum Ducem, quem ad excedendum labyrinthũ hunc mihi Dædalum conſtituã? Arrides vnice omniũ Ducum Dux *INVICTISSIME CAESAR FERDINANDE*, Dux inquam, ſingulorum Ducum & Monarcharum maxime, qui tanquã ſtellâ matutina, inter omnes Reges in medio nebulæ meridionalis emines, eoſque velut ſol lunam & ſtellas, multis (vt aiunt) paraſangis anteuertens, ipſum Chriſtianum orbem humeris velut Atlas cælum ſuſtentas. Extollitur quidem magnanima Herois Coclitis in ſuſtinendo ponte virtus, celebrantur ingentes Darij pro cõſeruanda Regni gloria conflictus, Alexandri re & cognomento Magni, ſummum in ſufferẽdo Imperio ſtudium, & plurima Illuſtrium Regiarumque familiarũ geſta deprædicantur; at ſi rem æquiori lance perponderemus, nullum vnquã in terris genus tantùm floruit, vt in ſuſtinendo Romano Imperio potentiſſimam Domum Auſtriacam æquâſſet, neq; in vllam vnquam ſtirpem,

pem,

pem, tot ſublimia Imperia, tot diademata & ſceptra, atq; in hanc vnam Domum coiêre: vt tellus pondere ſuo natatura ſit

Ni foret Auſtriacæ gentis ſuffulta columnis.

Ex ea enim innumerabiles fortiſſimi Duces, & Imperatores Auguſtiſſimi (ſub quibus *Tv* *FERDINANDE CAESAR INVICTISSIME*, non immeritò ſummum Orcheſtræ locum occupas) ex equo veluti quodam Troiano deſcenderunt, & grauiſſimam Romani Imperij molem ſuſtinuerunt, quorum

—— Fama, & imperI
porrecta Maieſtas ad ortum
Solis, ab Heſperio cubili.

Etenim tantorum Heroum virtus anguſtis includi nequit terminis, ſed ſuos per orbem ramos diffundens, quò magis premitur, eò magis in more palmæ extollitur, & vertice ſuper æthera innoteſcit, dum nunc blandientem ſibi Fortunam, nunc nouercantem, & extrema omnia rectis æquíſq; oculis intuetur. Verùm, quò eâ, quàm conſcendi, claſſe deuenio? Superaret *FERDINANDE IMPERATOR AVGVSTISSIME*, per Tuas, Auorum Proauorúmq; Tuo-

rum meritiſſimas laudes vberrima velificandi materia, niſi probè meminiſſem, eas non tralatitio alicui epiſtolio, ſed æternis omnium ſeculorum annalibus deberi: quin imò tantæ ſunt, vt eas meritò ſuſpiciat & ſequi deſideret ventura poſteritas, & ſi fieri poſſet, adſcribi ſibi voluiſſet antiquitas. Admirandam tamẽ, & toti terrarum orbi cognitam, *SACRATISSIMAE MAIESTATI TVAE* innatam, quis reticeat Clementiã? Suſpiciunt eam omnes, quorum oculi non ſunt prorſus effaſcinati. Tantas enim in celſiſſimo pectore Tuo egit radices, vt ſummam in altitudinem ſe ſe euehens, à Conſtantino, Theodoſio, Aureliano, cæteriſque Imperatoribus clementiſsimis triumphalem lauri amœnitatẽ, victáſq; manus acceperit, quam, vt trinus Gratiarum numerus efficiatur, ſuam quaſi Dominam & Reginam, Literarũ Amor & Beneficentia concomitantur. Eccui enim tanta in hiſtoriarũ tempe caligo, qui innumerabilia Tua & Maiorum Tuorum in togatos ſagatóſq; milites beneficia nõ audierit, legerit, hauſerit? Alienis teſtater id

exem-

exemplis, nisi Auorum meorum in domesticis pariter ac Patriæ rebus, in toga & sago, *AVGVSTISSIMAE DOMVI TVAE* militantium, & non nisi cum vita interruptorum occurreret memoria, quæ eos à Clementissima Domus Tuæ dextera, infinitis beneuolentiæ, liberalitatis, & Clementiæ meritis cumulatos, & illustratos fateretur. His itaq; virtutum stimulis, ad auita vestigia premenda, gratâ violentiâ impulsus, adspirante *SACRATISSIMAE MAIESTATIS TVAE* Fauonio, classem hanc literariam conscendere, vastissimóq; Iurisprudentiæ pelago, me committere statuebam. Ite ergo felicibus mea carbasa auspicijs, securum tanto Duce tenebitis cursum, non enim vos infausta cæli sydera terrebunt, aut feroces ventorum turbines afflabunt, sed tranquillũ vobis adire portum, & optatâ potiri arenâ concedent. *TV* autem *FERDINANDE IMPERATOR AVGVSTISSIME, DOMINE CLEMENTISSIME,* classi meæ, non meos, sed *SACRATISSIMÆ MAIESTATI TVÆ* proprios reditus & census per spatiosum Iurisprudentiæ æquor transportanti,

sempi-

ſempiterno beneuolentiæ Tuæ ſydere adſpirans, *CLEMENTISSIMVS DVX ESTO*, & hos laborum meorum flores, cum omnibus quos ſperare licet fructibus, ceu quoddam grati in Te animi pignus, eâ, quâ ſoles, mente accipe, & rem licet ex ſe paruam, attactu Tuo veluti Midas, de quo olim fabulæ, eum ijſdem rebus, quibus manus admouit, etiam auri naturam fulgorémq; eximiè ſplendentem attuliſſe cecinerunt, redde pretioſam. Reliquum quod eſt, Vale, *DVCVM* & *MONARCHARVM* tàm *POTENTISSIME* quàm *CLEMENTISSIME*, *IMPERATOR ARMIS ET LITERIS INCLYTE*, Viue Imperio, Patriæ, communi denique bono & incremento. Sic voueo Ingolſtadij: 1. Iulij Anno 1642,

Sacratiſsimæ Maieſtati
Tuæ

Deuotiſsimus Cliens

JOANNES ACHATIVS
à Seccavv.

PRÆFATIO
AVCTORIS AD LECTOREM.

Patronum hactenus egi debitorum calamitate belli depauperatorum, atquè me ad defendendos eos ex instituto dedi, miraberis proinde lector, cur subitò nunc mutata voluntate bellum mouere cogitem, & creditores atque debitores inter se committere. Nunquid non satis superioribus annis bellatum? an hastæ, gladij & bombardæ non sufficiunt ad stragem hominibus inferendam? ad pacem & quietem publicam turbandam? nunquid satis est aperto Marte in campis confligi, agros, vineas, prata, humano sanguine funestari? nunquid sufficit diros Martis alumnos in se quotidie ruere? armatæ militiæ viros se se mutuò trucidare & mactare? Itane calami quoquè armandi, togati milites cōmittendi, bella ciuilia excitanda, discordiæ inter ciues seminandæ, scholæ, pulpita, tribunalia infestanda? Cognosce, quæso, mei consilij causam rationémq́, & quo ad cognoueris, iudicium tuum suspende. Testatur experientia, & magnus ille bellator Iulius Cæsar, primus Romanorum Imperator, in initio lib. 3. belli ciuilis, *quod nouæ turbæ, & ciuiles dissensionès plerunq́ bella sequi consueuerint. Cū enim tempore belli, quiuis quiduis audeat, justitia violentiæ cedat, inter arma leges sileant, probi aliorum concussionibus subiaceant, iniurias varias sustinere debeant, nec vllum ferè innocentes juris & justitiæ præsidium habeant: cum ea, quæ tempore pacis constituta sunt, belli tempore non æquè valeant,* L. Valerius apud Liu. 34. Gothof. ad l. vn. in pr. lit. f. C. de Caduc. toll. *cum ipsas leges pro varietate circumstantiarum quandoq́ variari, quandoque temperari*

A oporter-

oporteat; naturaliter euenit, vt post finita castrensia bella, noua quadam & ciuilia bella, quemadmodum Cicero de offic. referente Harprechto ad §. 8. n. 5 de l. N. G. & C. *loquitur, h. e. varia lites & controuersia inter ciues oriantur, dum armata militia milites arma deposuerunt, aduocati ea corripiant, lasi in forũ prodeant, jura sua prosequantur, iniurias illatas persequantur, sibi jus & justitiam administrari vociferentur. His bellis, his litigiis, hisce querelis videmus omnia ferè tribunalia, omnia dicasteria repleta, vt ita non tam bellum excitare, quam confligentes in scenam producere, & quomodo inter se componi, quomodo ad concordiam reduci, quâ ratione pax & tranquillitas restitui possit, ostendere, & pro viribus meis allaborare cogitem. Hoc meum est consilium, hic scopus prasentis scriptionis mea, varios scilicet conflictus, & artificiosas velitationes edere, atquè modò venditorem cum emptore, modò locatorem cum conductore confligentem: jam mutuantem & mutuatarium, jam deponentem & depositarium, jam commodantem & commodatarium, inter se decertantes; modò vasallos, emphyteutas & colonos contra dominos insurgentes, jam haredes & legatarios inuicem dimicantes in arenam producere, & super variis casibus, qui praterito belli tempore contigerunt, inter se digladiantes publicè sistere. Tu amice lector, quasi in specula, vel in amphitheatro quodam constitutus hos pugiles modò casim, modò punctim congredientes spectabis, & quis eorum magis vel minus strenuè se gesserit, cui victoria adscribenda sit, secundum juris & aquitatis pracepta iudicabis. Ego non tam iudicem, quam mediatorem agam, ac suum cuique judicium relinquam.*

Initium autem belli mei ciuilis, ab istis faciam, qui super censibus, redditibus, & pensionibus, tempore belli cessis, inter se velitantur. Quotidiana enim hac pugna est, per totum ferè imperium

rium latè diffusa, inter varios variæ sortis & conditionis homines agitata. Nam magistratus & subditi, Principes & priuati, laici & clerici arma sua stringunt, & aduersus rigorosos censuum exactores, si non telis, saltem scutis se se armant. Plerique, inquam, debitores existimant, non posse, neque debere fieri, vt illi, quorum bona & prædia superioribus annis fuerunt vel ab hostibus occupata, vel subuersa & deuastata, vel deserta & sterilia effecta, vel inculta relicta, census aliàs præstari consuetos soluere & præstare cogantur. Atque in tantum inualuit hæc opinio, vt plurimi suos creditores vel omninò repellant, vel ad alios imperij status, eorúmque exempla & praxin se referant, vel ad pragmaticam sanctionem, & imperialem constitutionem auff einen allgemainen Reichsschluß *prouocent: vel quando misericordiâ ducti, aut importunitate creditorum commoti parum aliquid soluunt, non tamen exprimant, an in diminutionem sortis & summæ capitalis, an verò in partem censuum computari velint.*

Quid mihi hac in re videatur, in præsenti præludio ita exponam, vt & studiosis juris in scholis versantibus, & aduocatis in foro militantibus aliqualem informationem præbeam. Præludium autem voco, quia angustia temporis, quod mihi de alijs negotijs superfuit, & angustia libelli præsentis plenum tractatum atq; integrum conflictum edere nondum permiserunt. Donec igitur reliqua prodeant, tuũ est, amice lector, hunc quasi prodromum beneuolè excipere, & quem reliquis meis opusculis exhibuisti, ei quoque consimilem fauorem exhibere. Vale.

Distribuam Dissertationem istam in duas partes, quarũ primâ quæstiones quasdã generales, atq; omni tempori cõuenientes: in II. verò huic nostræ calamitosæ ætati magis peculiares euoluam.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid Census? Quare introductus? an validus? Quomodo differat ab vsura?

1\. Qvadripartita † est hæc quæstio, vti apparet, singula eius membra singulis nituntur rationibus. Ad † pri-
2\. mum quod attinet, scimus, quod plura sint negotia, quam vocabula, *l. natura. 4 ff. de præscript. Verb. VVesenb. n. 2. ff. de æstimat.* vnde fit, vt † vnum & idem verbum diuersis respe-
3\. ctibus, sæpe diuersam recipiat interpretationem, *l. 1. Vbi gl. V. manumitti. ff. de officio procons.* Id ipsum † accidit in vocabulo *Census*, quod
4\. quia varias significationes habet, & diuersos intellectus patitur, ideò ad tollendam æquiuocationem, & pro intellectu sequentium materiarũ, ante omnia necessarium est scire, quid nomine *Census* hoc loco significetur. Nemo † enim res bene intelligit, nisi verba prius
5\. cognouerit, *Matthias Stephani l. 1. de iurisdictione. c. 1. n. 8.* & verborum † prior, rerum potior est interpretatio, *arg. l. 1. ff. si cert. pet. Oldend.*
6\. *in class. forens. Act. class. 4. act. 24. in pr. §. sed hic.*

Deinde † quia finis designat, qualis res censenda sit, *Gail. 2. obs.*
7\. *53. n. 7. per. c. fraternitatis. §. fin. in fin. ext. de frigidis & maleficiat;* & res à † fine æstimatur, *VVesenb. n. 2. Cod. Ne Sanct. baptis. reiter. Gail. de*
8\. *pignorat. obs. 10. n. 2. & seqq.* vlterius oportet procedere; illudque inuestigare, qua † de causa census iste, de quo agimus, fuerit à ju-
9\. re permissus, vel ab initio introductus.

10\. Quoniam † verò frustra de modernis temporibus in specie tractatio institueretur, nisi constaret, quod census validè constitueretur, & quia frustra de calamitosis annis quæreretur, si melioribus etiam non deberetur, ideò non alienum erit à proposito, illud obiter præmittere, vtrum in genere loquendo censuum constitutio valida sit, necne? ac eadem † operâ videre, quid & quantum hic cõ-
11\. tractus à mutuo; & census ab vsura differat,

Ad primam † partem quæstionis quod attinet, pro tollendis va- 12.
rijs dubijs, & subterfugiendis multis difficultatibus sciendum & no-
tandum est, nomine † *Census* in jure nostro multa intelligi. 13.

Primò ex † primæua, genuina, ac propria latina significatione
census accipitur pro æstimatione patrimonij, & fortunarum cuius-
que, quæ fieri solet, vt sciatur, quantum quisque Principi, seu reipub.
tributi nomine soluere debeat, *per l. Vitia. l. forma. l. per discursum ff. de Censibus. l. 2. & 3. Cod. de Cens. l. 11. l. census ff. de Probat. l. de creationib. Cod. de Episcop. aud. Vdalricus Zasius. l. 2. §. post deinde n. 1. & 2. ff. de orig. iur* Couarr. *Var. resolut. c. 7. l. 3. n. 1.* Laynman *in Theolog. moral. rub. de pact. & contract. cap. 18.* Lessius *de iustitia & iure. l. 2. cap. 22. dub. 1.*
Ratio nominis; quia † censere idem est, quod æstimare, vnde à cen- 14.
sendo æstimatio patrimonij dicta fuit census, *Aluar. Valasc. de iure emphyt. q. 32. n. 1.* vbi multa ex antiquitate de hac æstimatione con-
gerit, & inter cætera *n. 5.* tradit, quod † coloni adscriptitij in jure 15.
vocentur censiti, eo quod reputati fuerint pars quoque fundi, & vnà
cum fundo æstimati, atque in publicum censum relati.

Secundò † accipitur census tropicè pro ipsis fortunis, quæ cen- 16.
sentur, pro patrimonio, siue substantia vniuscuiusque, ac pro facul-
tatibus & diuitijs. Quo sensu loquitur Poeta Ouidius, dum ait:

Dat Census honores, census amicitias. Iuxta hanc significatio-
nem per excellentiam † census olim is dicebatur, qui in bonis habe- 17.
bat centum millia sestertium, Couarr. *d. c. 7. n. 1.* Valasc. *loco citato.*

Tertiò † translatum est nomen *census* ad ipsum tributum, siue 18.
pensionem significandam, ita vt acciperetur pro eo, quod vel ratio-
ne personæ, vel rerum magistratui soluitur. *l. 2. & tot. tit. Cod. sine censu vel reliquis fundum comparari non posse,* quo sensu illud Matthæi
22. intelligunt: licetnè censum dare Cæsari? vid. Henr. Canis. *de vsuris & censibus c. 10. n. 2.* Lessium *loc. citat.* Layman. *l. c.* Valascum, *l. c. n. quarto.* In † hac significatione, gabella, vectigal, functio, colla- 19.
tio, tributum, & similes præstationes, vel pensitationes, nomine
censuum continentur, & pro synonymis habentur. Iac. Schultes *in locis communib. n. census. n. 1. & n. 7.* Gothofred. *ad rub. tit. Cod. sine censu vel reliquis.* Valasc. *loc. cit. n. quarto modo.* Inde † est quod magistra- 20.
tus, qui huiusmodi censibus ac tributis exigendis præficiebatur, cen-

ſitor, ſiue cenſor vocaretur, *tot. tit. Cod. de cenſibus & cenſitoribus, lib.*
11. l. 5. ibi: vel cenſitore Cod. de fund. patrimon. eod. lib. 11. Zaſius loc. cit. n. 3.
21. *&* 4. Et quia † tributum aliquando capiti imponebatur, dicebantur
qui illud ſoluebant, capite cenſi, & tributum ipſum capitatio, *Va-*
laſc. n. 3.
22. Quartò † accipiebatur paulatim cenſus pro omni eo, quod alteri,
etiam inferiori à Principe, in ſignum & recognitionem ſubiectionis,
jurisdictionis, imperij, aut dominij datur, *c. recepimus. ext. de priuile-*
gijs. c. 1. eat. de Cenſibus. Couarr d. c. 7. n. 1.
23. Quintò † ſumitur Cenſus ſtrictiùs pro contractu cenſuali, quo
quis alteri tradit rem, vel prædium ſuum, titulo donationis, vendi-
tionis, vel ſimili, ita vt in ipſum omne jus ſuum, & plenum domini-
um transferat, reſeruata ſibi aliqua penſione, hoc pacto, vt accipi-
ens perpetuò ex ea re ſibi annuum aliquid. v. g. 5. vel 10. florenos
ſoluat, de quo eſt textus *in cap. conſtitutum. extra. de religioſ. domib.*
24. & hic † cenſus ſolet reſeruatiuus appellari, de quo vide Aluar.
Valaſ. *de iure emphyteutico. q. 32. n. 4. & ſeqq. vſque ad n. 7.* Menochium
lib. 3. præſumpt. 107. n. 5. & 6. Couarr. *d. c. 7. n. 1.* Nicolaũ Euerhardum
25. *in locis legalibus, loco ab emphyteuſi ad cenſum 31. per totum*, † vbi notant
26. quomodo hic contractus ab emphyteuſi differat. Ratio † huius ac-
ceptionis eſt: quia cum cenſus pro tributo ſeu penſitatione acceptus
ſignificet certã penſionem quot annis præſtandam, inde factum eſt, vt
etiam penſio ex hoc contractu debita ſingulis annis ſoluenda *cenſus*
diceretur, & ipſe contractus nomen ſuum inde mutuaretur. Hinc
non eſt mirum, quod propter ſimilitudinem reditus, & annuæ præ-
ſtationis
27. Sextò † etiam vſura, quæ quot annis ratione mutui ſoluitur,
apud germanos Zinß ſiue cenſus appelletur, *Beſold. in theſaur. pract. n.*
Zinß *n. 1. in fin.*
28. Septimò † non quidem propriè, neque ex recta dictionis ſignifi-
catione, communiter tamen cenſus accipiuntur, pro annuis rediti-
bus, qui ſuper rebus alienis conſtituuntur, Couarr: *d. c. 7. n. 1. in fin.*
Aluar. Valaſc. *loc. cit. n. 8* Zaſius *loc. cit. n. 8.* Et contractus cenſus pro
contractu conſtitutionis redituum, quo quis alteri penſionem annu-
am conſtituit, & quia plerumque pretio accepto in forma venditio-

nis fit, ideò cõmuniter † emptio censùs vocatur. Et de hoc censu in 29.
præsenti dissertatione mihi sermo erit, qui bifariam † adhuc accipi- 30.
tur, materialiter pro rebus, quæ quotannis, aut alijs statutis tempo-
ribus soluuntur; hoc modo pecunia, triticum &c. census dicitur.
Formaliter † autem pro jure, vt de tempore in tempus soluatur. 31.
Molin. disp. 383. *n.* 3. siue pro iure exigendi quot annis certam pensio-
nem, quo sensu solemus dicere: Sempronius habet censum in horto
Cornelij: *ad ibid.* Lessius *l.* 2. *c.* 22. *dub.* 1. vbi dicit: huic iuri responde-
re in alio obligationem soluendi. Si igitur

Quæras: quid † sit census? Respondet Felicianus de Solis. *lib.* 1. 32.
de Censibus c. 4. *n.* 8. quod sit contractus introductus à consuetudine,
ex quo vnus vendit, & alter emit jus certi reditus singulis annis sol-
uendi in pecunia. Paulò aliter Molina *disp.* 383. *n.* 2. quod sit emptio,
qua quis certâ pecunia emit ius accipiendi annuum, menstrùum, aut
alium similem reditum, siue in pecunia, siue in quacunque alia re,
manente venditore reditûs domino suorum bonorum, vt ante erat.

Si autem pētas † quid census in abstracto? Respondet Henric.
Canis. *de Vsuris & Censibus. c.* 10. *n.* 2 Layman *loc. cit. in pr.* Fridericus 33.
Martini *c.* 3. *de Censibus in pr.* Lessius *l.* 2. *c.* 22. *dub.* 1. quod sit ius perci-
piendi annuos reditus, siue pensiones ex re, vel persona alterius, v. g.
ex alicuius fundo, negotiatione, opificio, certo & iusto pretio com-
paratum. Itaquè † tunc dicor censum emere, quando cum aliquo 34.
conuenio, vt mihi pro centenis aureis à me acceptis ex fundo suo sin-
gulis annis soluat. 5. aureos, census vel pensionis nomine, *And Gail.*
2. *obs.* 7. *n.* 1. Et in † talibus emptis censibus & reditibus plurium Ec- 35.
clesiarum, monasteriorum, hospitalium, & Ecclesiasticorum be-
neficiorum fructus, reditus, & prouentus consistunt, *c. regimini.* 2.
in extravag. commun. de empt.

Fuit † hic contractus ab initio in Bohemia in diœcesi Vratislaui- 36.
ensi, postea in diuersis Allemanniæ partibus per consuetudinem, ad
communem hominum vtilitatem introductus, ab ijs, quibus id pro
suis statu & indemnitatibus expedire visum erat, vsitatus, & tam ab
Ecclesiasticis, quàm secularibus tanquam licitus communi vtilitati
deseruiens sæpius confirmatus, pariter & approbatus. *c. Regiminis.* 1.
& c. Regimini. 2. *in extravag. comm.*

Ori-

37. Originem † meo iudicio ſumpſit inde, quod cum non liceret ſub vſuris pecunias collocare, & ea de cauſa ditiores pecunias ſuas domi otioſas retinerent, & gratis ſe periculo exponere nollent, pauperes autem vt ſic extremam neceſsitatem paterentur, ideò vt vtriſq; conſuleretur, communis neceſsitas & vtilitas alium titulum & modum excogitauit, quo quis honeſtum lucrum pecunijs ſuis facere, & ni-
38. hilominus egentibus in neceſsitate ſuccurrere poſſet. quod ipſum † Carolus V. æterni nominis princeps certis imperij conſtitutionibus de Anno 30. & 48. Auguſtæ promulgatis intendit, emptiones redituum ſiue penſionum, ad rationem viginti pro vno floreno in vſurarum locum ſurrogando, & ita rem illicitam in licitam commutando.

39. Hac † ipſa de cauſa cenſus adhuc hodie, vel quod in locum vſurarum ſuccedanei, vel propter ſimilitudinem cum ipſis pro odioſis reputantur, vid. Caniſ. *de Vſur. & Cenſ. cap.* 10. *n.* 7. *in argt.* 3. Couarr. *Variar. reſolut. cap.* 7. *n.* 2. *§.* 2. *& §. quintò, & c.* 10. *n. fin. circa f. ibi, Vſurarum ſuccedanei*, Pet. Frid. Mindanum *de mand. ind. l.* 2. *c.* 72. *theſ.* 2. *in fin.* Felicianum de Solis. *l.* 1. *de cenſ. n.* 1. *c.* 7.

40. Dubitabant † ſæpe viri docti, an hic contractus validus eſſet, & de jure ſubſiſteret, nec ne? Multi nihil diſtare putabant ab vſuris, dicentes eſſe tantùm tectam & palliatam vſuram, ſiue ſpeciem quandam & prætextum, vſuras liberius exercendi, yt ita contractus mutui, & annui reditus emptio, nomine tantum non etiam re differant, & quo ad effectum in idem recidant. vid. contra hos pugnantem Caniſ. *cap.* 10. *n.* 6. Felicianum *l.* 1. *c.* 7. Couarr. *Var. reſol. l.* 3. *c.* 7. *n.* 2.

41. Ex antiquis † plurimi exercitij tantùm cauſa ſuper eo controuertebant, ſed ex recentioribus aliqui ſeriò eum impugnant, præſerſertim Franciſcus Hottomannus odio & inuidia in Romanum Pontificem incitatus. Præterea Petrus Frid. Mindanus *loc. cit. theſ.* 5. vbi ita loquitur: ſi, quod ſentiam, dicere licet, ſemper mihi viſa fuit iſthæc penſionum & redituum annuorum emptio & venditio nihil aliud eſſe, quam vſurarum quædam quaſi vel coloratio, vel plauſibilior agnominatio, quæ tamen à vera & legitima vſurarum ſtipulatione in rei veritate & ſubſtantia parùm vel potius nihil differt, vt ita beatiſſimæ illæ mentes Imperatorum & Iuriſconſultorum, qui iſtud emptionis genus comprobârunt, vel introduxerunt, vſuras τῷ ὀνόματι quidem ſuſtuliſſe, re ipſa ſtabiliuiſſe videantur, Imò

Imò ex illis ipsis venditoribus & debitoribus, qui hunc contractum celebrabant temporibus Martini V. & Calixti. III. Pontificum, iam aliqui erant, qui census huiusmodi antea liberè & sine cōtradictione solutos emptoribus sölnere recusabant, sub hoc prætextu, quod talis cōtractus esset vsurarius & illicit⁹, *c. regiminis 1. & c. regimini. 2. in extravag. commun. de empt.*

Ratio † potissima, quæ ipsos dubios reddebat, & adhuc hodie plurimos suspensos tenet, est ista: quod summa pensionum temporis progressu soluendarum pretij quantitatem & sortem superet; quicquid autem supra sortem accipitur, vsura esse censetur, *c. consuluit, ext. de Vsuris, VVesenb. in paratit. n. 10. ff. de rebus cred. Vid. Gail. 2. obs. 7. num. 8.* 41.

Verùm † hoc non attento contractum istum non modò Imperator Iustinianus *in Nouell. 160. & Nouell. 72. Vt hi qui obligatos se habere perhibent res minorum &c. c. si Verò 7. §. licebit*, tanquàm licitum, & à cōtractu mutui distinctum probauit, *Couarr. l. 3. Var. res. c. 7. n. 2. §. secunda ratio id. ibid § quintò, Canis. de Vsur. & cens. c. 10. n. 2. in f. Felicianum de Solis l. 1. c. 7. n. 2. V. sextò. & V. postremò:* Sed † etiam Martinus V. Pontifex anno 1423. *in extravag. regiminis. 1. de empt.* requisitus an huiusmodi contractus licitus, vel illicitus censeri debeat, habito peritorum consilio dudum declarauit, contractum talem iuridicum, siue iuri communi conformem, & iuxta determinationem Doctorum licitum esse, non obstantibus quibuscunque. 43. 44.

Idipsum factum † est sub eodem Martino V. à multis Doctoribus, tam Theologis quam Iureconsultis in consilio Constantiensi, quemadmodū testatur Binsfeldius. *c. in ciuitate ext. de Vsur. dub. 2. in 8. conclus. §. octaua confirmat.* & post eum Canis. *c. 11. n. 8.* Martinum secutus est † Calixtus III. Pontifex ann. 1455. *in extravag. regimini 2. de empt.* vbi vendentes ad ipsorum censuum & redituū solutionem iuxta contractuum tenores efficaciter teneri auctoritate Apostolicâ declarauit. 45.

Hoc † facto passim à Theologis, & vtriusque iuris Doctoribus defendi cęperunt annuorum redituum emptiones & venditiones, vid. Couarr. *Var. resolut. l. 3. c. 7. n. 2.* vbi plures rationes adducit, & ad 46.

contraria respondet: Aluar. Valascum *de iure emphyt. q. 32. n. 8. & 9.* Felicianum de Solis. *l. 1 c. 7. de Censibus n. 2. in fin.* vbi ingentem numerum Doctorum allegat: Gasp. Rodericum *lib. 1. de annuis redditibus q. 4. n. 16.* vbi dicit, nimium iam inculcatam esse hanc sententiam, & veluti transactã in rem iudicatam, Lessiũ *de I. & I. lib. 2. c. 22. n. 13.* Layman *c. 18. de pact. & cõtract. n. 3.* Eman. Sa *in aphorism. confess. v. Vsura. n. 4.* Gailium *l. 2. obs. 7. n. 5.* vbi argumenta contraria soluit *& obs. 91. n. 2.* Henricum Canis. *de Vsuris & Censibus, c. 19. n. 1.* vbi dicit, nihil ferè hodie censibus frequentius esse.
47. Testatur † de hac frequentia Pius V. Pontifex in principio Bullæ anno 1568. editæ, Maximilianus Imperator in comitijs Augustanis *ann. 1500. sub tit.* **Von Wucherlichen Contracten. §. dieweil aber** / qui & ipse vsuris abrogatis emptionem censuum, siue redituum annuorũ admisit. Hunc deinde secutus Carolus V. Imp. *in reformat. politic. August. ann. Dom.* 1530. *sub eod. tit.* §. **Vnd nach dem** / & *Augustæ ann.* 1548. *sub eod.* §. **Vnd nach dem.**

48. Et quamuis † nihilominus adhuc aliqui viri docti non bene distinguere nôrint inter vsuras & census, sed eos inter se sæpè confundant, Cuiac. *ad Nouell. 160.* Gothof. *ibid* & Matthias Stephani *n. 8* Nicol. Vigel. *meth. Iur. controu. lib. 1. c. 13. reg. 2. exc. 2. & seqq.* eas tamen non omninò improbant.
49. Sic Oldendorpius † *in lexico suo* de ijs ita scribit: vsuris Christus contractum mutui contaminari vetuit, *Luc. 6.* per hoc autem non improbantur moderatæ vsuræ & consuetæ, si sub forma emptionis & venditionis exerceantur. Tunc enim creditor agit ingenuè, & debitor intelligit negotium, quod geritur. Longè enim differunt, concipere specialem contractum ad vsuras, vel (vt nunc vulgò dicunt) rentas, & accipere vsuras contra mutui contractûs naturam, quod illicitum. Quæ verba viri alioquin doctissimi, sed in nomine hoc loco errantis, ideò volui adducere, vt sciant illi, qui subinde hunc contractum non bene capere possunt, se iam alios ante se non nihil aberrantes habuisse.

50. Ratio autem † præcipua, quâ census defendi solet, & contractus censualis, est ista: quia est merus contractus emptionis & venditionis (nam 100. v. g. florenis emo à te ius percipiendi in annos singulos ex agro tuo frumenti scapham, vel eius valorem, videl. 5.

flore-

florenos, *Lessius lib. 2. c. 22. in princ. Laymman d. c. 18. n. 1.* sicut ergò in alijs rebus emptio & venditio rectè contrahitur, & sicuti ius eundi per fundum meum, vel ius hauriendi aquam ex puteo meo rectè venditur: ita quoquè ius percipiendi reditum, *Gail. 2. obs. 7. n. 8.*

Antecedens ita † probatur: vbicunque sunt omnia & vera substantialia emptionis & venditionis, ibi quoque emptionem esse necessum est: atqui in venditione annuorum redituum substantialia emptionis reperiuntur, videlicet consensus merx & pretium. E. &c. De consensu nemo dubitat. De pretio itidem constat, quod sit ea pecunia, quæ pro annuo censu soluitur, siue certa pecuniæ quantitas vtrinque conuenta. Merx verò est annuus reditus, siue potius obligatio præstandi censum annuum, aut jus percipiendi pensionem annuam, Felicianus de Solis. *l. 1. c. 7. de Censibus.* vbi plures rationes adducit, Canis. *loc. cit. n. 4.* vbi vide *§. nec mouet & nn seqq.* quomodo ad argumenta contraria respondeat, Gail. *2. obs. 7. n. 5.* Ad † hæc indubitatũ est vsumfructum posse pecuniá emi, *l. necessariò. 8. § Vlt. ff. de pericul. & comm. rei vend.* alijsquè titulis constitui, *l. omnium. 3. l. 6 ff. de vsufruct.* Igitur consimiliter & annui reditus, siue in fructibus, siue in pecunia soluendi, emi vendique poterunt. *Ioan. Harprecht §. Vlt. n. 40 & seqq. inst. de empt. & vend. Felicianus de Solis. l. 1. c. 7. n. 2.* Sequela † probatur à Laynmanno *c. 18. de pact. & contract. n. 3.* hoc modo: quia census (saltem realis) est veluti pars quædam vsusfructus, quippe ius percipiendi partem fructuum emptione comparatum. Si autem in fructibus reditus annuus potest emi, cur non etiam in pecunia, præsertim in domo alijsque rebus, quæ non nisi pecuniarium reditum præstant, *Felicianus lib 1 c. 7. de Censibus: num. 2.* Paulò aliter à Lessio *l. 2 cap. 22. dub 4. num. 15.* vbi ait: sicuti dominus potest vendere totum jus suum, quod habet in prædio, ita etiam potest vendere partem juris, videlicet censum, siue reditum annuum, siue fructuarium, siue pecuniarium. Nam sicuti dominus agri non solum ius habet ad agri segetem, sed etiam ad pretium ex segete capiendum: ita hoc ius vendere alteri, vel ad tempus, vel in perpetuum potest: *Vid. eund. dub 5. n. 36.*

Quod † verò successu temporis, & post lapsum viginti v. g. an- 55

 norum

norum creditor sigillatim reditum exigendo videatur plus, quam dederat, & sic longè vltra sortem, & capitale percipere, id non turbat huius cōtractus securitatem, nec eius iustitiam lædit. Nam inprimis, si velimus propriè loqui, nihil percipitur vltra sortem, sed bene vltra pretium, *Gail. 2. obs. 7. n. 6. & seqq.* id autem nihil obstat, videmus enim plures contractus licitos esse, in quibus ex particularibus commoditatibus vltra pretium datum percipitur.

56. Sic † in emptione prædiorum & agrorum fertilium post aliquot annos fructus percepti pretium emptionis excedunt, & tamen huiusmodi emptiones prædiorum omni jure permissas esse, nemini dubium est, *Gail. 2. obs. 7. n. 8.* si autem fructus agri intra aliquot annos possunt superare eius pretium, cur non & pensiones, quæ sunt instar fructuum illius juris, quod emitur, *Lessius dub. 5. n. 36. & in f.*

57. Sic emptio † iumenti pro pretio currenti vitio caret & scrupulo, quamuis ex locatione iumenti maiorem commoditatem percipi-
58. at emptor, quam fuerit pretium pro illo solutum. Cum † E in censu pretium non detur pro annuis præstationibus, sed pro jure percipiendi illas, quod communi hominum æstimatione æquiualet certæ summæ pecuniæ præsenti, & semper minoris æstimatur, quam emolumentum speratum, si præsens esset, ideo non requiritur ad illius iustitiam, quod pretium commensuretur singularibus solutionibus, nec illæ pretiū excedant, sed sufficit, quod proportionetur juri, quod emitur, *Lessius dub. 5. in fin. Felicianus de Solis l. 1. c. 7. n. 3.* Ratio autem,
59. † cur ius illud percipiendi censum annuum longè minoris valeat, quam pensiones, si omnes præsentes essent, est multiplex. Inprimis commoditas pecuniæ præsentis, & difficultas in pensionibus sic per partes, & per tanta temporis interualla exigendis. Nemo enim est, qui 20. florenos præsentes non pluris æstimet, quam jus percipiendi vnum florenum annuū spatio 20. annorum *Layman. c. 18. n. 3. in fin. & n. 7. §. neq; dici*, vbi addit: quod pensiones emantur quatenus sunt in potentia, atq; in spe: minus autem æstimatur aliquid in spe, quam
60. in re. Deinde † multis modis tanto tempore fieri potest, vt nihil ex eo iure possit percipi, *Lessius dub. 6. n. 41. Vid. eund. dub. 4. num. 20.* vel quod fructus non nascatur, vel pensiones non soluantur, *Layman d. n. 3.*

Ex

Ex dictis vtcumque colligi potest, quid & quomodo differat cõtractus censualis à mutuo, & census ab vsura; vt autem illud melius appareat, videamus quid Doctores dicant.

Primò † aliqui in hoc distinguunt, quod vsura non nisi in mutuo committatur: Ergo, inquiunt, contractus censualis non est subjectum proprium vsurariæ prauitatis, *Vid. Felician. de Soliis l. 1. cap. 7. de Censib. n. 3. Gasp. Rodericum l. 1. de annuis reditib. q. 4. n. 3.* Hoc quidem verum est, sed quia in alijs etiam contractibus mutuum subesse, occultari, & delitescere, atque vsura latere potest, Ideò 61.

Secundò † aliqui in hoc distinguunt, quod de natura mutui sit, vt res eadem, non quidem in specie, sed saltem in genere restituatur, & vt mutuans sortem semper reuocare, & à debitore repetere possit, *l. 2. & 3. ff. de reb. cred.* ita vt cogatur mutuatarius sortem reddere, quia ea est in obligatione, *Canis. de Vsur. & cens. c. 10. n. 7. in solut. secund. arg.* in censu autem creditor siue emptor non potest repetere pretium, *Laymann. c. 18 n. 5.* & venditor siue debitor, qui censum annuum constituit, nunquam cogitur sortem reddere, *Couarr. Var. res. l. 3. c. 7. n. 2. §. secunda ratio, id. n. 4.* In mutuo sors salua est: in emptione autem censûs sors, siue pretium potius, illicò in venditorem transfertur, & sine spe repetitionis ei applicatur, qui nullo modo obligatur ad reddendum pretium, quod accepit, *Andr. Gail. 2. obs. 7. n. 3. Matthias Steph. ad Nouell. 160. n. 4. Felicianus de Soliis l. 1. c. 4. n. 14. de Censibus. & l. 1. c. 7. n. 3. v. non obest, id. c. 10. n. 28. Gaspar Rodericus. l. 1. de ann. redit. q. 4. n. 5. 6. 13. & 15.* 62.

Hoc † iterum quidem verum, quod ex natura huius contractûs pretium reuocari non possit, sed quia subinde per pactum libera reuocatio emptori conceditur, sequeretur saltem, illud pactum vsurarium esse, & censum ex vtraque parte redimibilem non valere. Cuius contrarium quia plurimi defendunt, vti quæstione sequenti indicabo, ideò 63.

Tertiò † distinguunt aliqui mutuum à censu, ex parte emptoris redimibili, in hoc, quod in mutuo detur pecunia immediatè pro simili pecunia eiusdem valoris, cum obligatione, vt illa post aliquot tempus reddatur; in censu verò detur immediatè pro re vendibili, id 64.

 est,

eſt, pro iure percipiendi annuam penſionem, cum obligatione, vt venditor illud jus poſt aliquot tempus redimat, & pro ea pretium reſtituat. Non enim emptor cenſus dat pecuniam immediatè pro pecunia refundenda in redemptione, ſed pro cenſu, neque obligat alterum, vt reddat pecuniam pro pecunia accepta, ſed vt recipiat ius, quod vendidit, & reddat pro eo iuſtum pretium. Hoc quidem ſubtiliter dicitur, ſed non ab omnibus capitur. ideò

65. Quartò † alij rem aliter explicant, & dicunt, quod mutuans nullum periculum ſuſtineat, rei mutuò datæ, ita vt mutuatarius nullo interitu liberetur: emptor autem cenſûs ex natura contractûs periculum rei emptæ in tantum ferat, vt fundo cenſuali perempto, vel imminuto reditus ſimul pereat, *Gail. 2. obſ. 7. n. 11. Laynman. c. 18. de pactis & cõtract. n. 5. Couarr. Var. reſ. l. 3. c. 7. n. 5. § Verũ. Fachinaus l. 2. contro-*
66. *c. 44. in reſp. ad Vlt.* vbi ait: cenſum ſuper † certis rebus conſtituendũ
eſſe, vt ijs peremptis, vel infrugiferis redditis, pecuniæ amittendæ periculum emptor ſubeat, ſic enim contractus hic à fœneratitio mutuo euidenter erit alienus, ac proinde licitus. Idem *ibid. in fin.* ſuper rebus, inquit, conſtituitur cenſus, non tantùm, vt eæ ſint emptori obligatæ, ſed etiam, vt ſubiaceat alicui periculo cenſus, nempe vt re peremptâ, ipſe cenſus perimatur.

67. Sed quia † hæc explicatio ſupponit non niſi cenſum realem licitum eſſe, & eatenus tantùm emptionem redituum valere, ſi ad fundum certum referatur; Ego autem *infr. q. 2.* aliorum probabilem opinionem referam, exiſtimantium, cenſum merè perſonalem conſtitui poſſe, inſuper emptor cenſûs non emit rem illam, ſuper qua cenſus conſtituitur, vt proinde periculum eius ſubire debeat, ſed potiùs jus percipiendi cenſum & reditum, *Gaſp. Roderic. loc. cit. n. 13.* ideò

68. Quintò † alij vlterius pergunt, & dicunt, quod ſaltem periculum illius juris ad emptorem pertineat. Nam ſi res perirent, aut non ſuppoſitis rebus venditor moreretur abſq; hæredibus & bonis, profectò jus omninò vanum eſſet, eiuſq; periculum ſatis emptori incumberet. Imò multò magis periculum emptori immineret, ſi reditus hi annui, obligatione perſonali conſtituantur, quam ſi ſuper certis rebus ſint conſtituti, *Couarr. Var. reſ. l. 3. c. 7. n. 6. §. quod item.* Hæc explica-

plicatio benè probat rei emptæ hac in specie periculũ ad emptorem pertinere, adeoque hunc contractum naturam emptionis habere, subest enim hic periculum saltem non recipiendæ solutionis, quod rarò tot annorum decursu abesse solet, præsertim in censu personali. Laynman *l. cit. n. 7.* Lessius *l. 2. c. 22. dub. 4. n. 31.* vbi ait: hoc ius ferè semper cum aliquibus periculis & difficultatibus esse coniunctum. Interim † tamen nondum apparet, quomodo per hoc à mutuo discernatur, in quo mutuans æquè periculo non recipiendæ solutionis subjicitur, quando mutuatarius facultatibus labitur, & tamen ob id vsuras recipere prohibetur. idcircò 69.

Sextò † alij ad iustificandam perceptionem censuum adducunt lucrum vel commodum cessans, nam pecuniâ præsenti res fructiferæ possent emi, vel negotiatio cum magno lucro institui, *Lessius. l. 2. c. 22. dub. 4. n. 31.* quo carere debet is, qui censum sibi comparauit, & per particulares censuum solutiones vix totâ suâ vitâ summam expositam recipiet. Nemo autem ferè est, qui non pluris pecuniam faciat, ex qua vtilitatem ipsemet capere potest, quam ex qua hæredes tantum sui vtilitatem capturi sunt, post multorum annorum decursum, *Lessius, c. 22. dub. 4. n. 20. Laynman d. n. 7.* 70.

Verùm † hæc explicatio vel nihil noui affert, quod non in mutuo quoquè reperiatur (nam in eo propter periculum aliquando aliquid vltra sortem accipi potest, & propter lucrum cessans aliquid loco interesse:) vel supponit censum ex parte emptoris irredimibilem illicitum esse, quod alij, & ipsimet auctores allegati negant: vel deniquè hoc induceret, quod in omni mutuo, ad multos annos concesso, vsuræ peti possent, quia mutuanti commodum repræsentationis decederet, vel quia mutuans totâ vitâ suâ sortem sperare non auderet, quod nemo facile concesserit. 71.

Quomodo † ergo census ab vsuris, & contractus censualis à mutuo distinguendus erit? & quid interest, si quis dat mille alteri, & recipit annuatim quinquaginta per tot annos, vt supra sortem inueniatur habuisse, siue dixerit se mutuare, siue reditum emere? vid. Gasp. Roderic. *lib. 1. de annuis redit. q. 4. n. 18.* vbi aliquas differentias ponit. Mihi non displicet sententia Lessij *dub. 6. l. 2. cap. 22. n. 43.* vbi videtur 72.

tur vsuram distinguere à censu potissimum quoad intentionem. Nam
73. † si do tibi mille florenos ea lege, vt per 20. annos mihi soluas quot
annis quinquaginta, & intendo emere censum, non erit ille contra-
ctus illicitus, quia intendo emere actionem personalem, vel ius quod-
dam incorporale, quod nō pluris æstimatur in illa rep. vt supponitur.
Si autem intendo solum dare mutuúm, erit contractus illicitus, quia
mutuum non datur pro iure, sed pro alia re simili in specie, & eiusdem
valoris. Voluntas enim & propositum distinguunt omne factum, *l.
qui iniuriâ 53. ff. de furtis.* cōtractum n. æstimur ex mente contrahen-
tium, *arg. l. 1. 2. & 3. ff. de pactis* non tam attendendum quid fiat,
quam quo animo fiat, *c. 1. circ. fin. 15. q. 7. arg. l. quis sit. 17. §. 3. ff. de ædi-
lit: edict.* actibus in cunctis dominatur sola voluntas, *arg. l. in conditi-
onibus vbi DD. in pr. ff. de conditionib. & demonstr.*
74. Sed † quis est, qui hanc intentionem habeat, cum plurimi nō intel-
ligant, & viri etiam docti hunc cōtrahendi modum, censumq; emen-
75. di non capiant? Ad hoc respondent Theologi, quamuis contrahen-
tes non cogitent expressè de censu vtrinq; redimibili, tamen sufficere,
si implicitè in illum consentiant; v. g. si is, qui pecuniam tradit,
intendat hoc lucrum percipere omni modo, quo iustè id fieri potest;
& alter intendat pro eo titulo dare, quo ille accipit, ita Lessius, cui ac-
76. cedit Laynman. *d. c. 18. n. 13.* vbi † dicit, excusari homines rudiores,
& indoctos ab iniquitate & vsura, quod aliorum proborum & docto-
rum virorum exemplum secuti, nihil titulo illicito vel vsurario, sed
modo, quo fieri potest, iustissimo accipere proponant. Hac ratio-
77. ne putat † præfatus Lessius excusari posse contractus quosdam valde
vsitatos, quibus solet pecunia pupillorum tradi mercatoribus, vel al-
teri pro vsura quincunce, idest, pro 5. in 100. Et hæc est pia † inter-
pretatio, quæ si admittatur, vno velut falcis ictu omnis vsura facilè
præcideretur. Quis enim inter Christianos tam improbus esset, vt pe-
cunias suas ad lucrum exponens non eam cogitationem & intentio-
nem haberet, quod illud vellet omni meliori modo, quo de iure fieri,
& in conscientia saluari potest, percipere, atque ea ratione pecunias
suas elocare?
78. Sed finis tandem huic quæstioni imponendus est, & hæc

Con-

Conclusio † ponenda, quòd annui census emptio & venditio re- 78.
gulariter licita sit, Gail. *2. obs. 2. n. 21.* quam pro fundamento sequen-
tium quæstionum præsupponere potius & declarare, quàm in con-
trouersiam rapere, & disputationi subijcere volui.

Ampliatur † autem, tantam esse iustitiã huius contractus, vt si de 79.
negotio aliquo dubitetur, ad quam speciem contractus sit referen-
dum, an ad mutuum, vel contractum censualem, potius huc, quàm il-
luc inclyta facultas Iuridica Ingolstadiensis non ita pridem referen-
dum existimauerit. *per text. in Nouell. 160.* vbi cum dubitaretur de
contractus vel actus nomine, Imperator Iustinianus ipse existimauit,
vt quandoquidem ibi in hoc pecunia data fuit, vt eam percipientes
singulis annis pensionẽ aliquam soluerent, illud negotium magis pro
annuo reditu, quàm pro vsurarum præstatione haberi. Et quamuis
ibidem † pensio fuerit soluta reip. & Imperator eò magis in istam 80.
sententiam inclinârit: tamen fauor reip. magis pro causa impulsiua,
quàm motiua habendus videbatur. Ratio autem † huius amplia- 81.
tionis est: quòd præstationes vsurarum in mutuo omni jure prohibi-
tæ sint, *vid. Couar. var. res. l. 3. c. 1. n. 5.* vnde potius talis contractus
præsumendus, qui de jure subsistat, quàm qui inualidus existat. Con-
tractus enim in dubio præsumitur justus & legitimus, non vsurarius,
gl. in c. nauiganti. & dubitetur ext. de vsur. Menoch. de præsumpt. l. 5. præs. 2. Mascard. de probat. vol. 1. conclus. 438. Quod † multò magis procede- 82.
ret, si de sorte non soluenda, vel reddenda pactum intercessisset. Nam
cum de substantia mutui sit, vt sors reddatur. *l. 2. & 3. ff. de rebus cred.*
Canis. de vsur. & cens. c. 10. n. 7. in solut. 2 argt. & pacta † contra sub- 83.
stantiam contractus apposita, vel non valeant, vel contractum in
aliam speciem reforment, *§. fin. inst. de mand. l. cum precario 12. ff. de precario. c. f. ext. de precarijs. Philipp Steinhaus. in paratit. Cod. de pactis conuentis Schrader. de contract. rub. quib. mod. re contrah. §. 1. num. 28. & 29. Schneidevv. de obligat. rub. de Contract. n. 20. & seqq.* actus potius † ita 84.
interpretandus est, vt valeat, quàm vt pereat, *argt. c. cum dilecti 6. ext. de donat. l. quoties. 80. ff. de V. O.*

Quid † si autem contrahentes vtantur verbo **Leihen/ außleihen/ &c.** anné & tunc contractus censualis, vel potiùs mutuum 85.

præsumendum? ego non fuissem ausus censum præsumere, etiamsi
86. adderetur, vmb einen Zinß außleihen/ quia † verbum Zinß apud germanos mutuum denotat, teste Besoldo *in thes. pract. n.* Zinß *in f.*
87. Sed † venerabilis collega meus R. P. Laynman *p. m. c. 18. de pactis & contract. n. 13.* videtur in simplicibus & indoctis hominibus hunc contractum pro censuali tolerare, per Rationem: quod apud Germanos vocabulum Leihen/ valde generale sit, cùm omnem ferme concessionem significet.
88. Limitatur † conclusio primò, vt valeat census emptio, dummodo fraus absit, *Canis. de Vsur. & cens. c. 10. n. 5. in fin.* & in fraudem vsurarum non constituatur, *id c. 11. n. 8. §. caterum. Gail. 2. obs. 7. n. 14.*
89. Ne autem † hic contractus facilè in fraudem vsurarum fiat, inter improbos & auaritiæ deditos, postea à diuersis Summis Pontificibus, Martino, Calixto, & Pio, imò etiam ab Augustissimis Imperatoribus Maximiliano I. in comitijs Augustanis anno 1500. Carolo V. anno 1548. à Rudolpho II. anno 1577. vt omnem sui temporis fraudem, quæ propter corruptiores hominum mores magis & magis increbuerat, anteuerterent, variæ conditiones, quas in progressu recensebo, ad eius iustitiam præscriptæ fuerunt. *Canis. c. 11. n. 8. §. caterum.*
90. Limitatur secundò: dummodo iustum pretium interueniat, *Canis. c. 10. n. 5. in fin. Couarr. Var. res. l. 3. c. 7. n. 3. §. nec in hoc* & modus in constituendo reditu non excedatur, *Gail. 2. obs. 7. n. 14. vid. Gasp. Roder. lib. 1. de ann. redit. q. 4. n. 16.*
91. Quodnam † autem sit iustum pretium annui reditus, vel census, vide apud Felicianum de Solis. *l. 2. de Cens. c. 1. per tot.* Lessium *l. 2. c. 22. dub. 14. & dub. 6. n. 41.* And. Gail. *2. obs. 5. n. 11. & obs. 9. n. 1. & 2.* Couarr. *Var. res. l. 3. c. 9. n. 5. & n. 6.* Laynman. *c. 18. de pactis & contractibus, n. 3.* Matth. Stephani *ad Nouel. 160. n. 5.* Andr. Fachinæum. *l. 2. contrau. c. 43.* Qui in hoc fere conueniunt, pretium iustum census illud censeri, quod vel lex, vel consuetudo, vel in certo casu Principis voluntas taxauit. Sin verò taxatum non fuerit, quòd æquitas dictat, secundùm conditiones contractus, & vtriusque contrahentis grauamina, aliásque circumstantias locorum, temporum & personarum.
92. Addunt † etiam, si limites iusti pretij excedantur, quòd non corruat

rum ob id totus contractus, tanquam vsurarius, sed reijciatur id, quod justam pensionem excedit, & fiat reductio ad legitimum modum, *Layman d. c. 18. in fin. Gail. 2. obs. 5.* quódque multum † intersit inter pactionem illicitam & pactionem vsurariam, hæc enim vitiat, illa vitiatur, Felician. *l. 1. c. 7. n. 6.* vid. Const: Maximiliani I. Imp. in comit. August: 1500. sub titulo **von wucherlichen Contracten:** ibi: **vnwürdig/krafftloß/vnd vnbündig/** & in constitutione Carol. V. de anno 1530. August. ibi: **daß sie denselben vnwürdig/krafftloß/vnd vnbündig erklären.** Singularum autem specierũ justam æstimationem vide remissiuè quæst. seq. 93.

Hæc de censibus & eorum validitate in genere. Quia † verò sæpe in genere licet, quòd non licet in specie, *Dd. ad c. si sacerdos. 2. ext. de officio ord. ind.* ideo postquam vidimus, quòd census in genere liciti sint, & permissi, videbimus nunc in specie, vtrùm hoc vel illo modo constituti de jure subsistant, nec ne. 94.

QVÆSTIO II.

Quot modis constituatur census? & quid de validitate singulorum modorum Doctores sentiant?

HÆc † quæstio dupliciter intelligi potest, primò, vt sensus sit, quo titulo census constitui possit: deinde quâ formâ. De priori hoc loco non agam, quia ad propositum meum non multum facit, remittam † igitur lectorem ad Fridericum Martini, *in tract. de iure censuum. c. 3. & c. 7. n. 126.* Canis. *in tract. de Censib. in præfat. ad lectorem & c. 11. n. 2. §. secundum* Laynman. *de pactis & contractib. c. 18. n. 1.* Iacob. Menoch. *l. 3. præsumpt. 107. n. 9.* Felicianum de Solis *l. 2. de Cens. c. 5.* Molina *disp. 383. n. 1.* vbi ostendunt, quòd census non tantùm per emptionem, sed etiam alijs modis & titulis, videlicet per donationem, permutationem, dotem, sententiam judicis, vltimam voluntatem, transactionem, & diuisionem constitui possit, si v. g. cohæredes inter se conueniant, vt vnus res hæreditarias habeat, & alteri singulis annis reditum soluat. 1. 2.

3. Quamuis † enim Pontifices in suis decretalibus de emptione censuum tantummodo dispoluerint, id tamen vel propter frequentiam emptionis censuum, vel ideo factum est, quia de iustitia illius tituli fuerunt interrogati, quòd si de alijs consulti fuissent, haud dubiè eos quóque approbassent.

4. Et hæc ipsa † causa videtur esse, quare Carolus V. Imp. in comitijs anno 1548. Augustæ habitis in constitutione, **von widerkäufflichen Gültverschreibungen** declarauerit, vt contractus iste non tantùm per verba **kauffen / verkauffen / widerkauffen /** sed etiam per verbum **Gültverschreibung** denotetur, Paulus Matthias Wehner. *in obser. pract. lit. G n.* **Gültverschreibung.** hac de causa

5. Doctores † debitorem census, non semper venditorem, sed censitum; & emptorem siue creditorem censorem appellant, Frideric. Martini, *c. 4. n. 57.* & passim.

Quamuis autem obligatio ista censuum diuersis titulis inducatur, tamen euitandæ confusionis causâ † de illa potissimùm tractabo,

6. quæ per emptionem & venditionem constituitur, tum quia hic titulus frequentissimus est, tum quia facile erit ea, quæ de hoc dicuntur,

7. ad alios titulos extendere, Molina. *disp.* 383. *n.* 1. Subsistit † autem non modò per veram emptionem, sed etiam per fictam, & breui manu factam, *argt. l. certi condictio § si nummos. & §. vlt. cum L. seq. & l. singularia ff. si certum pet.* si videlicet debitum aliquod conuertatur in censum, *Lessius l, 2. cap.* 22. *dub.* 12. *num.* 97. si conueneric creditor cum debitore, vt pecuniam, quam ex alia causa habet, titulo emptionis venditionis retineat, & annuum censum soluat, tunc enim fingitur ex priori causa accepisse. & ex altera mox ei iterum tradidisse, *argt. §. interdum.* 44. *ibi: si rem quam tibi. inst. de rer. diuis. & acquir. rer. domin.* vid. Couarr. *var. res. l.* 3. *c.* 7. *n.* 6. *§. quod item. circ. f. & eund. c.* 11. *in pr. & n.* 5. clarius & interminis. *n.* 6. *§. tertiò.* vbi dicit: fingi vno actu pretium solutum fuisse venditori, & eundem venditorem id

8. pretium dedisse emptori pro annuo reditu. Et hanc † constitutionem anno superiori inclyta facultas juridica Ingolstadiensis inspecto communi jure, & more recepto, in quadam facti specie non improbauit,

bauit. Quamuis Felicianus de Solis *l. 3. c. 8. de Censib. n. 35. f. 117. cum seq.* multis argumentis eam impugnet. Attentâ autem † Bullâ Pij V. eiusque ordinatione sollicitam dubitationem recipit, quia Pontifex pecuniã in ipso actu celebrationis instrumenti coram testibus & notario numeratam requirit, *vid. Canis. c. 11. n. 4.* quod tamen Lessius *l. 2. c. 22. dub. 12. in f. n. 97.* inspecto † jure diuino, naturali, & gentium minùs necessarium arbitratur, eo quòd ex hoc nulla inæqualitas justitiæ contraria sequatur. Utrum autem in dubio titulo emptionis, vel quo alio præsumatur constitutus, vide apud Menoch. *de præs. l. 3. præs. 107. n. 15.* 9. 10.

De Posteriori † verò sensu quæstionis, videlicet de forma constituendi censum, hoc loco summopere necessarium est agere, quia responsa ad plurimas sequentes quæstiones, juxta discrimen modorum etiam discriminari, & distingui debent. 11.

Quamuis † autem meum propositum non sit disputare, an singuli modi, & quinam eorum sint liciti, sed præsuppositâ eorum validitate super singulis quæstionibus animi mei sensa aperire, obiter tamen nihilominus (& non decisiuè, sed potius narratiuè) indicabo, quid de singulis Doctores sentiant, an validos vel inualidos existiment. Allegabo † autem hoc loco non tantùm Iurisconsultos, verùm etiam Theologos, qui licet ferè semper loquantur de foro conscientiæ, deque jure naturali & gentium, non positiuo: nihilominus tamen in hoc est vtilis eorum doctrina, vt vsus juri positiuo contrarius deprehendatur non esse irrationabilis, vsurarius, legi diuinæ vel naturali, justitiæ & conscientiæ inimicus, vid. Lessium. *l. 2. c. 22. dub. 13. n. 99. & n. 101.* vbi tradit: quòd in locis, vbi Bulla Pij V. non est recepta, obseruandæ sint leges & consuetudines ibidem vsitatæ, quæ tamen legi diuinæ vel naturali non repugnent. 12. 13.

Primus † itaq; modus constituendi censum est, vt reditus annuus pecuniâ soluendus, constituatur solùm obligatione personali, siue vt immediatè fundetur super persona, quæ se obliget ad pensionis solutionem, absque vlla bonorum assignatione, & hypotheca. Et hunc vocant censum merè personalem. 14.

Hunc † contractum valere negant Aluarus Valascus *de iure emphyteut.* 15.

phyteut. q. 32. *n.* 10. & plurimi alij, à Couarr. *Var. ref. l.* 3. *c.* 7. *n.* 5. & Lesiio. *l.* 2. *c.* 22. *dub.* 4. *n.* 16. Frid. Martini. *c.* 4. *n.* 21. Feliciano de Solis. *l.* 1. *de cens. c.* 4. *n.* 3. Fachin. *l.* 2. *controu. c.* 44. *in pr.* allegati: propterea

16\. terea † quòd Martinus & Calixtus Pontifices in suis extrauagantibus solùm reales licitos esse declarauerint, & Pius V. in sua Bulla anno 1568. edita, censum in persona venditoris constitutum abrogauerit, *Canis. c.* 11. *n.* 5 *Lessius l.* 2. *c.* 22. *dub.* 12. *n.* 78. quòd in eo totum periculū reijciatur in venditorem, quod contra naturam emptionis videtur, & propter rationes alias, à Couarr. *l.* 3. *c.* 7. *Var. ref. num* 5. & 6. & Frid. Martini *c.* 4. *n.* 22. adductas. Præsertim quòd latissimus pateret campus vsuris contrahendis, facilè enim fœneratores, cum mutuam pecuniam ad fœnus dant, dicerent se pro censu annuo dare. *Aluar. Valasc. hoc. cit. n.* 10.

17\. Nihilominus † quia Bulla Pij V. apud nos non est recepta, *Lessius lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 13. neque in Hispania, *Felician. lib.* 1. *cap.* 7. *de cens. num.* 4. *verb. secundò.* (neque † recipi necessariò debuit, *vid. ad*

18\. *longum Felicianum. l.* 1. *c.* 9. *de Censib.* quo ad ea, quæ æquitatem & iustitiam publicam humanam & ciuilem concernunt, v. g. qua parte vult, vt census emantur necessariò super rebus immobilibus, suis finibus designatis, *Frid. Martini. c.* 4. *n.* 72. & *seqq.* vel vt fiat numeratio pecuniæ coram notario & testibus) ideo alij

19\. Concedunt † censum personalem æquè licitum, *per tex. in l. Vlt. §. f. ff. de contrah. empt.* & permissum esse, jus fructuū & laborum suorū, jus suorum lucrorum, compendiorum, quæstuum, emolumentorum suâ industriâ quæsitorum, vendere, Frid Martini. *c.* 4. *n.* 39. Couarr. *Var. ref. l.* 3. *c.* 7. *n.* 5. Leonh. Lessius *de I.* & *I. l.* 2. *c.* 22. *dub.* 1. *in fin.* & *dub.* 4. *n.* 18. vbi pulchrè discurrit, & inter cætera tradit, quod † eo modo

20\. constituatur census personalis, quomodo olim decimæ personales constituebantur. Cum his concordat Emanuel Sa *in aphoris. confessar. n. censu. n.* 10. vbi docet, licere censum super persona constituere, vbi Bulla Pij V. non est recepta: Henr. Canis. *de Vsur.* & *cens. c.* 11. *n.* 8. *§. quibus profectò.* Felicianus de Solis. *l.* 1. *c.* 8. *n.* 4. vbi hoc pluribus fundamentis adstruit. & *n.* 7. dicit, ex natura rei, atque inspecto jure diuino & naturali, in sola persona constitui censum posse, secus verò attenta

bulla.

bullâ Pij V. accedit And. Gail. 2 *obs. 7. n. 13.* vbi dicit, hanc † senten- 21.
tiam generali consuetudine passim receptam esse.

Nam nec Maximilianus I. nec Carolus V. nec Rudolphus II. vllam rei censui subijciendæ mentionem fecerunt, *Canis. c. 11. f. 179. §. in quibus.* Rationes † quibus hæc sententia nititur, videantur 22.
apud Couar. *Var. res. l. 3. c. 7. §. primum & seqq.* Laynman. *c. 18. n. 7.* Frid. Martini *c. 4. n. 16. & seqq. præsertim n. 29.* Canis. *c. 11. n. 2. & 8. §. quibus profectò;* vbi tradit, quòd hic contractus sit merus contractus emptionis & venditionis, ita vt inspectâ naturâ contractûs, sine hypotheca (quæ tantùm securitatis causâ accedat) census consistere possit, *id. d. c. 11. f. 179. §. in quibus.*

Non † desunt tamen ex Doctoribus, qui censum personalem ad 23.
personas tantùm industrias & frugiferas restringunt, Laynman *loc. cit. n. 8.* vbi *n. 14.* putat censum constitutum cum persona non habente reditus annuos, siue ex fundo, siue ex propria industria (juncto pacto assecurationis) vsurarium esse, eò quod tunc aliud non fit, quàm quòd mutuo detur cum pacto, vt præter sortem auctarium soluatur. Similiter Lessius *c. 22. dub. 4. n. 21.* vbi putat personam debere esse talem, quæ aliquem fructum suâ operâ vel industriâ pariat, vel vt aliqua bona in re, vel in spe habeat. Consentit Frid. Martini. *c. 4. n. 36. & seq. n. 41. item c. 8. n. 192.* vbi exemplificat: Si † Doctor v. g. juris a- 24.
gens aduocatum, aut procuratorem, carensque bonis immobilibus, ex ingenij sui, & professionis suæ lucro, & fructibus, alteri jus census vendat, aut alijs prædijs & fundis abundans, ex sua persona alij censum vendat.

Monet † etiam Couarr. *loc. cit. n. 6. §. quod item* Christianos, vt à 25.
censu personali abstineant, ne fortassis eius occasione pateat amplior vsuris locus. Verùm † alij putant, quod eiusmodi emptio super 26.
persona infructifera, tantò sit justior, quantò minus grauat venditorem, & quantò maius periculum ex parte emptoris. *Vid. Frid. Martini: c. 8. n. 204.* Ad Extrauagantes † Martini V. & Calixti III. respondent, 27.
quòd conditiones, quæ in ijs traduntur, loco formæ præscriptæ non sunt, sed ita ex facto tantùm propositæ, Canis. *c. 11. de vsur. & cens. in not. ad constitut. Maximiliani.* Lessius *l. 2. c. 22. dub. 1. n. 25.* [illegible]

iuiuos

ſices iſtos in ſuis extrauagantibus varias quidem retuliſſe conditiones, obſeruari ſolitas in Polonia, & Germania, quas tamen non requirant, vt neceſſarias ad juſtitiā cenſus, ſed tantùm affirmant, cenſus eos, qui haſce conditiones haberent, juſtos eſſe & licitos: de hoc enim conſul-
28. ti erant. Vnde † ex his extrauagantibus ſtatui nequit; quæ conditiones ad juſtitiam cenſuum ſint neceſſariæ. Cauſa itaque, quare ſolùm reales approbauerint, eſt iſta: quia ad communem contrahendi vſum reſpexerunt, nō negantes, hoſce contractus aliter celebrari etiā poſſe.

29. Secundus † modus conſtituendi cenſum eſt, vt venditor cenſus ſeſe obliget, & eo nomine fidejuſſores det, *argt. c. ex reſcripto. 9. ext. de*
30. *iureiur. c. expoſita* 11. *ext. de arbit. Caniſ. de Vſuris & cenſ. f. Vlt.* Et hic † modus neque magis, neque minus validus eſt, quàm prior. Illam au-
31. tem Rationem † habet: quod ſicut in obligationibus alijs maioris ſecuritatis cauſsà accedere ſolent fideiuſſores, vnus, aut plures, *l. 1. ff. de fideiuſſ.* ita & in hac obligatione cenſus ſoluendi, *Caniſ. loc. cit. Eman. Sa in aphoriſm. confeſſ. V. cenſus n. 3.* vid. plenius Felicianum de Solis *in tract. de Cenſibus lib. 1. c. 4. n. 3.* vbi ait: cenſus emptionis & venditionis nomine continetur, emptioni autem non repugnat accedere fideiuſſorem. *argt. §. in omnibus inſt. de fideiuſſ:* vid. de effectu huius fideiuſſionis apud ipſum plura.

32. Tertius † modus eſt, vt cenſus conſtituatur & fundetur non tantùm ſuper perſona, obligante ſe ad annuam penſionem, ſed ita, vt ad debiti ſecuritatem certus fundus hypothecæ ſupponatur. Sicut
33. † enim in alijs obligationibus maioris ſecuritatis causâ accedere ſolet pignus vel hypotheca, *l. contrahitur. 4. cum L. ſeqq ff. de pign.* ita & in hâc obligatione cenſus ſoluendi, *Caniſ. de Vſur. & cenſib. c. 11. f. Vlt. Co-*
34. *uarr. Var. reſ. l. 3. c. 7. n. 6. §. non obſtant.* Et hunc † vocant cenſum perſonalem hypothecâ ſubnixum, *Layman c. 18. n. 13.* neque enim per hoc deſinit cenſus perſonalis eſſe, etiamſi ad debiti ſecuritatem certus fundus hypothecæ ſubijciatur, *id. ibid n. 2. Leſſ. l. 2. c. 22. dub. 2. n. 7.*
35. *& dub. 4. n. 17. & 22.* idem *dub. 12. n. 78.* vbi infert, quòd † attentâ Bullâ Pij V. non valeat, valeat tamen inſpectâ communi Doctorum opinione, & vniuerſali conſuetudine.

36. Quartus † modus eſt, vt fundetur ſuper re aliqua certa, v. g. ſu-

per

per domo, agro, vinea, vel prædio alio, vno vel pluribus, ex quibus
penſio ſoluenda ſit, *Layman d. c. 18. n. 2.* Sed quia † res aliquæ mobi- 37.
les, aliæ immobiles, aliæ frugiferæ, aliæ infrugiferæ, aliæ certæ ſpeci-
ficæ & determinatæ, aliæ incertæ & indeterminatæ, ideo de ſingulis
videndum.

Si conſtituitur † in re immobili, de ſui natura fructifera, & quæ 38.
nominatim certis finibus deſignata, vel certis limitibus circumſcripta
ſit, tunc nemo dubitat, quin valeat. Imò hunc † ſolum valere 39.
voluit Pius V. in ſua Bulla anno 1568. 14. Kalend. Feb. edita, paulò
poſt principium. Leſsius *dub. 12. n. 75 & n. 77.* Eman. Sa. *in aphoriſm.
confeſſ. V. cenſus. n. 1.* Fachinæus *l. 2 contr(o)u. c. 44.* Idem deducunt ex
Martini V. extrauagante, *ibi.* ſuper bonis ſuis, oppidis, agris, prædijs,
domibus, &c. & paulò inferius, *ibi* bonis in ipſo contractu tunc ex-
preſſis: Similiter ex *c. 2. de empt. & Vend. in extra Vag. commun.* vbi ex-
preſsè nominantur res fructiferæ. Tales † ſunt agri, domus, flumi- 40.
na, ſyluæ, montes, portus, ripæ, fodinæ metallicæ, & ſimiles, è qui-
bus emolumentum percipitur, *Leſſ. dub. 12. n. 77.*

Rationes † vide apud Frid. Martini. *c. 3. n. 1. & 2.* vbi *n. 5. & ſeqq.* 41.
infert, quòd in rebus † ſterilibus, v.g. domo ruinoſa, quam nemo in- 42.
habitare poteſt, vel agro inculto, item ſuper rebus, quæ vſu conſu-
muntur, vt ſun pecunia, frumentum, vinum, oleum, item in re, cuius
quis nudam proprietatem habet, item in re fructifera, quæ tantum
fructum, quanta eſt penſio, præſtare nequit, non poſſit conſtitui.

Si conſtituitur † cenſus ſuper re non quidem immobili, ſed quæ 43.
immobili æquiparetur, v. g. ſuper decimis, ſuper vectigali, ſuper
Principis Camera, ærario, cauena, ſiue penuario, horreo, ſiue cella-
rio tunc plerique putant, valere, *Leſſius l. 2. c. 22. dub 4. n. 20. in conf.
id dub. 12. n. 77. Layman c. 19. de pact. & contract. n. 1.*

Rationem † afferunt talem: quia tametſi fructum naturâ ſuâ non 44.
ferant, tamen in hoc comparatæ ſunt, vt perpetuam acceſſionem, ve-
luti fructum habeant, *argt. L. Venatsonum 26. ff. de Vſur.*

Ratio † alia: quia hæ res inter immobiles recenſentur, & ex ijs 45.
feuda dari poſſunt, *c. 1. ſi de feud. cog. in Vſib. feud.* Hinc aliqui † vo- 46.
lunt, quòd etiam ſuper antiquo cenſu, alius cenſus conſtitui poſſit;

D ſu-

per c. enimi 1. §. cumque annui de V. S. in clement. Sa loc. cit. n. 1. & 11. Lessius
47. *l. 2. c. 22. dub. 12. n. 77.* si † non sit ad modicum tempus constitutus, *Andr. Gail. 2. obs. 10. in pr.* vbi textus, authoritates & rationes allegat,
48. & † nondum cessus. *id Gail. n. 3.* præsertim † irredimibilis. *ibid. n. 6.*
49. *Lessius d. n. 77.* (nam si esset redimibilis, eo redempto periret census in eo fundatus) vide tamen etiam de redimibilibus Felicianũ *l. 1. c. 7. de cens. n. 1.* confer Canis. *d. c. 11. q. 2.* vbi de censu super censu constituto dubitat.

50. Si constituitur † census super rebus, quæ vsu consumuntur, dicunt tunc saltem validum esse, quando fuerint in statu fructificandi, puta si pecunia, vinum, frumentũ, oleum expositum sit negotiationi, *Frid. Martini c. 4. n. 5.*

51. Si super † rebus mobilibus fructiferis, v. g. animalibus constituatur, dicunt validè constitui saltem ad tempus, vel super grege & armento perpetuò, *Frid. Martini in d. c. 4. n. 12. & 13. 14.*

52. Verùm † si super sola persona venditoris, etiam non fructifera, census constitui potest, absque omni re, nullum dubium est, quin super rebus etiam non fructiferis constitui possit: vel super rebus sterilibus, & ad pensionem soluendam non sufficientibus. *Couarr. lib. 3. Var. res. c. 7. n. 5.*

53. Quintus † modus constituendi est, vt fundetur generaliter super omnibus bonis, & sic super rebus incertis, *Lessius lib. 2. cap. 22.*
54. *dub. 4. num. 20.* Et talis † census fuit abrogatus à Pio V. Pontifice in sua Bulla, 14. Kal. Feb. anno 1568. Romæ promulgata, & reprobatus à Chassanæo *in catal. gloriæ mundi. p. 12. consid. 95. fall. 25.* hoc ta-
55. men bulla non prohibet, vt detur † fideiussor, aut hypotheca, etiam omnium bonorum ad securitatem venditionis, vel solutionis. Eman.
56. Sa. *in aphorism. V. census num. 3.* Verùm quòd † in locis, vbi Bulla Pij V. non est recepta, liceat censum constituere etiam super bonis incertis, scilicet possessis & possidendis, tradit dictus Eman Sa. *num. 10.* Felician. *lib. 1. cap. 8. num. 10.* Couarr. *Var. res. lib. 3. cap. 7. num. 14.* Gail. *2. obs. 7. num. 11.* Aluar. Valasc. *loc. cit. num. 11.* Fachin.
57. *lib. 2. controu. cap. 44. in pr.* vbi testatur apud Germanos † consuetudine receptum esse, vt census tam super certis, quam super incertis
58. rebus constitui possit, Frid. † Martini *cap. 4. num. 10.* vbi limitat, dum-

dummodo vendens possideat bona, quorum fructus ad reditum annuum sufficiat. quæ ipsa tamen limitatio dubium recipit.

Sextus † modus est, vt fundetur quidem super re aliqua, quæ sit censui subiecta, & tamen nihilominus hypotheca exigatur, vide Lessium *cap. 22. dub. 5, n. 36.* vbi vsum huius hypothecæ ostendit. 59.

Sunt & alij † modi constituendi censum siue reditum, vel potius pacta extrinsecus huic contractui apponi solita, quæ quia & ipsa pro decisione sequentium quæstionum faciunt, obiter tantùm percurram, & quid Dd. de eorum validitate sentiant, non tam definiam, quàm referam. Itaque. 60.

Septimus † modus constituendi fit cum pacto, seu clausulá redimendi, juxta voluntatem venditoris, censiti, siue debitoris, videlicet, vt renunciatio eiusdem per viam redemptionis sit penes ipsum, ita vt restituto pretio se possit liberare, ab onere præstationis censuum. 61.

Et hunc modum † validum esse, censúsq; ex parte venditoris redimibiles valere declarârunt, Maximilianus *sub. tit.* von Wucherlichē Contracten, *in comitiis Augustanis anno* 1500. Carolus V. *anno* 1548. Rudolphus II. *anno* 1577. Martinus V. & Calixtus III. Pontifices *in suis extrauag.* Proinde etiam Dd. communiter admittunt, Canis. *de Vsur & cens. cap.* 11 *f.* 179. *Ved. eund. fol.* 214. Felic. *lib.* 1. *de censib. lib.* 7. *num.* 4 Couarr. *Var. res. lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 3. §. *sed erst cum seqq.* vbi vide quomodo ad *cap. ad nostram ext de empt.* respondeat, & §. *tandem* vbi asseuerat, hanc opinionem † ab omnibus receptam esse, & in toto ferè orbe Christiano admissam, vt non liceat in dubium vocare: Lessius *lib. 2. cap. 22. dub. 10. num.* 55. & *n.* 57. vbi allegat aliquem virum doctum, asseuerantem redemptionem istam ex parte venditoris esse contractui natiuam, & venditioni censuum per se coniunctam, vt non habeat effectum perpetuum, quod tamen ipse negat. §. *dices*. vide Laynman. *c.* 18. *de pact. & contract. n.* 5, vbi Rationem † huius redemptionis reddit: quia aliæ omnes venditiones sub conditione redemptionis, præsertim ad arbitrium venditoris (quo casu nulla præsumptio vel suspicio vsuræ esse potest) licitæ sunt, ergo etiam venditio census cum eiusmodi pacto licita est. Imò † magis quàm 62. 63. 64. 65.

aliæ venditiones. Nam qui vendit res alias, vendit plerumque propterea, quia ijs non indiget, sed qui vendit censum, non item, sed in necessitate constitutus, ne magis egeat, censum constituit, sperans se felicioribus annis exonerare, Lessius. *lib. 2. de Cons. c. 22. dub. 10. n. 57. §. quidam.*

66. Hoc tamen † limitant primò: Dummodo justum rei pretium accesserit, *Couarr. loc cit. §. Alphonsus, & d. §. tandem,* quod quale sit, vide apud eundē Couarr. *lib. 3. c. 10. per tot.* & hoc onus compensetur, tantò minoris rem vendendo, *Lessius. c. 10. n. 58.*

67. Limitant † secundò: nisi conuenerit, vt maiori pretio reditus redimendus sit, quàm constitutus fuerit, Couarr. *c. 9. n. 4. in fi.* Felic. de Solis. *l. 1. c. 7. n* 14. Nam quid juris sit, si fiat pactum, vt debeat maiori summa redimi, vide apud Felicianum *lib. 1. c. 10. n. 28. §. an verò.* & apud Lessium *dub. 7.*

68. Quid si autem † per pactum libertas redimendi fuerit ad certum tempus restricta, vt nimirum census post aliquod tempus maneat irredimibilis? vid. Couarr. *c. 8. n. 7. in. f.* Felicianum. *l. 1. c. 7. n. 4. & c. 10. n. 28.*

69. Quid si † pactum accesserit, vt venditori liceat post 10. annos, & non priùs rem venditam redimere, oblato vel restituto pretio? vide Couarr. *l. c. n. 8.* Felicianum. *loc. cit. n. 6. §. secunda, & c. 10. n. 18. §. an verò.*

70. Quid de † pactione, vt debitor teneatur redimere in ijsdem speciebus? vide Felicianum. *l. 1. c. 10. n. 28. §. clausula.*

71. Quid † si autem fiat pactum, vt venditor non redimat, nisi totum simul, vel notabilem partem? Lessius *dub. 12. n. 93.* putat tale pactum valere, quamuis in censibus Martini V. & Calixti III. concessum esset, per partes redimere, quia id posset esse valde incommodum emptori.

72. Vtrùm † autem valeat pactum, ne venditor omninò redimat? vide Felician. *l. 1. c. 8. n 16. & c. 10. n. 28.* Multi putant de jure positiuo
73. non valere: sed Lessius, *dub. 10. n. 57 in fin.* existimat, † jus naturæ & gentium admittere, neq; peccare emptores contra justitiam, etsi fini vendentis se non accomodent. Idem *dub. 12. n. 92.* dicit in Bulla Pij V.

non

non omnes irredimibiles census reijci, sed eos tantùm, qui non emuntur multò pluris, quàm redimibiles: eos autem, qui justo pretio emuntur, per totum Christianum orbem receptissimos, tam generalibus verbis non tolli.

Vtrùm † valeat tale pactum, vt non possit redimi, nisi velit emptor, & ipso volente debeat redimi? *Vide Lessium dub. 10. in f.* 74.

Octauus † modus constituendi est, vt apponatur pactum reuendendi juxta voluntatem emptoris, vt possit emptor quandocunque, vel post certum tempus, resoluere contractum, repetendo quod dedit, & cogere venditorem ad redimendum censum, siue reditum annuum, de quo vide Felician. *l. 1. c. 7. n. 17. & c. 8. n. 18. & c. 10. n. 28. V. an vero.* 75.

Hic modus † refellitur per constitutionem Caroli V. *de anno* 1548. *vul.* Von wucherlichen Contracten / vbi habetur, quòd in sola venditoris, id est, debitoris persona redemptio permittatur, ibi: Vnnd die Loßkündigung der Gültverschreibung auff Widerkauff / wie Widerkauffs Recht ist / bey dem Verkauffer / vnnd nit dem Kauffer stehen. 76.
Similis † conditio est in extrauag. Mart. V. & Calixti III. & Pij V. quemadmodum putat Canis. *c. 11. de Vsur. & cens. f. 214. in not. ad d. Carol.* quamuis si bene inspiciatur, & consideretur, reperiatur tantùm hoc modo concepta: vt valeat pactum, vt venditor ad redimendum non obligetur, vide Lessium. *lib. 2. cap 22 dub. 12. n 75.* Insuper † Pius V. in Bulla sua vlterius constituit, vt emptor non possit ab inuito venditore pretium repetere, adeóque voluit ex parte ementis omnes census perpetuos seu irredimibiles esse, *Lessius. dub 12. n. 94.* 77. 78.
Hinc dicit † Andreas Gail. *2. obs. 7. num. 14.* contractum illum vsurarium esse, quando pecunia non alienatur in omne tempus, sed arbitrio creditoris permittitur, vt eam certo die repetere possit, & interim annua quædam pensio ex pecunia soluatur. Fieret enim ex emptione mutuum, vnde ex vi mutui pensiones perciperet, quod est vsurarium. Nam † in hoc distinguitur census à mutuo, quòd in eo creditor liberè possit à debitore sortem exigere, in censu verò non ita, *Vid. Felician. l. 1. c. 7. n. 15.* Hac ipsa † de causa Carol. V. Imp. anno 1548. constituit: si quid vltra (constitutionem suam) tractatum fuerit, 79. 80. 81.

 id,

id, & omnia alia inconuenientia pacta, siue conuentiones, tanquam vsurarias & infirmas censeri & haberi. Hæc de jure positiuo scripto.
82. Sed † quia sæpe lex & vsus sibi inuicem contrariantur, vt ad longum ostendit Ant. Matthæus *diss. 11. per tot.* ideo videmus passim, census
83. ex parte emptoris redimibiles constitui. Utrùm † autem consuetudo illa valeat, an verò vsuraria sit, non ego judicabo, sed Theologis & Canonistis judicandum relinquam. Lessius *dub. 10. n. 5. §. ad alterum*, negat hoc pactum illicitum esse, quia inde sequeretur, quòd nulla emptio cum pacto retrouenditionis ex parte emptoris esset licita, nec emptor posset lucrari fructus, sed teneretur computare in sortem. Couarr. *Var. resol. l. 3. c. 9. n. 2. inf. & n. 3.* pactum retrouendendi omninò licitum esse putat, etiamsi in voluntatem arbitriúmq;
84. emptoris reuenditio conferatur, dummodo † iusto pretio id fiat, (*id d. cit. n. 2. & n. 5.* vbi declarat quodnam dicatur justum pretium) & tantò pluris emat, *Less. d. dub. 10. n. 58.* siue vt grauamen hoc justo pretio compensetur, *Felician. loc. cit. n. 15.* Similiter & Laynman
85. *loc. cit. n. 5.* per Rationem † dictam: si in emptione census apponi potest pactum redimendi ad arbitrium venditoris, cur non item ad arbitrium emptoris, saluâ naturâ census, vide Lessium *dub. 10. n. 56.* vbi *num. 58.* alias adhuc rationes adducit.

86. Nihilominus † in emptione annui census ab his pactionibus abstinendum monet Couarr. *l. c. n. 4.* propterea, quòd tales pactiones contractum suspectum reddant, & efficiant, quòd sors semel ab emptore data possit ab inuito debitore venditoréque exigi, quod est, contra huius naturalem conditionem, quâ à mutuo & vsura distin-
87. guitur. Sed † Laynman dissuadendum quidem, tolerandum tamen putat, præsertim quòd dictæ constitutiones, quatenus ea prohibent, quæ juri naturali alioquin non aduersantur, pluribus locis receptæ non sint.

88. Nonus † modus censum constituendi est, vt tam ex parte venditoris, quàm emptoris resolui, & vel redimi, vel retrouendi possit.

89. Hoc † pactum multi improbant, per ea quæ dicta sunt in modo præcedenti, & quia etiam in Carolin. Augustæ edita, anno 1548. vsurarium reputatur; hinc Eman. Sa *in aphorism. v. census, n. 9.* censum, in-
quit

quit, ex vtrâque parte redimibilem licere alij aiunt, alij negant, ego concedere non auderem. Verùm † alij distinguunt inter censum realem & personalem. In reali censu dicunt quidem dissuadendum, (propterea quòd facile vsuraria intentio latere possit,) tamen tolerandum esse. *Laynman. c. 18. n. 5.* præsertim si maius pretium, vel minor pensio soluatur in censu vtrinque redimibili, quàm in censu redimibili ex parte solius venditoris, Lessius. *l. 2. c. 22. dub. 10. n. 59. & n. 60.* Rationem † assignat Laynman talem: quòd hoc in casu seruetur natura emptionis & venditionis. Cùm enim in alijs emptionibus apponi possit pactum redimendi ad arbitrium vtriusque, cur non etiam in emptione census? & sicut totum rei dominium emi potest cum pacto redimendi in fauorem vtriusque apposito, ita etiam jus fructuum, quod est veluti pars dominij, *Less. l. 2. c. 22. dub. 10. n. 60.* 90. 91.

Deinde † in contractu Societatis, si mercatori des 100. aureos, cum eo pacto, vt is instituta negotiatione, annuos quinqs tibi soluere obligatus sit, insuper etiam ipsam sortem restituere, cum vel tibi, vel ipsi mercatori societatis contractum dissoluere placuerit, pactum illud plurimi a Lessio, *c. 25. d. 3.* & Laynman. *d. c. 18. n. 11.* allegati defendunt. E. etiam in contractu censuali dicta forma instituto, jure defendi posse arbitrantur, vid. *Less. l. 2. c. 22. dub. 10. n. 58. & ad alterum*, vbi adhuc alias rationes adducit. 92.

In Censu † personali super persona industria fundato pactum redimendi, vtrinque probabiliter defendi, attamen periculo vsurariæ prauitatis non carere putat Laynman, *loc. cit. n. 8.* Sed Lessius † *dub. 10. n. 60.* idem de personalibus, quod de realibus statuit, cùm eædem vtrobique rationes locum habeant. 93. 94.

Hi † census vtrinque redimibiles seruiunt valde pecunijs pupillaribus elocandis, tutores enim, qui non libenter otiosam domi pecuniam retinent, (imo de jure ciuili olim retinere non audebant, sed vel in emptionem prædiorum, vel sub vsuris collocare debebant, *vid. Nouell. 1. c. 6. & 7.*) & pupillis suis commodare volunt, census cum hoc pacto emunt, vt pupillus quando in suam tutelam venerit, & res suas ipse tractare voluerit, vel familiam instituere, vsum pecuniarum suarum habere posit, *vid. Felsman. l. 1. c. 7. n. 1. de Censibus. § sexto.* 95.

Varia-

96. Variatur † autem hoc pactum redemptionis ita: vt conferatur quandoq; in certum tempus, v. g. decennium, vt intra illud redimere liceat, postea non; vel contra, vt intra illud redimere non liceat, postea verò licitum sit, Laynman, *loc. cit. n 9*. Lessius *l. 2. c. 22. dub. 9.* vbi
97. tale pactum licitum esse adstruit. Monent tamen, † vt quantò magis venditori arctatur facultas ad arbitrium suum redimendi, tantò maius venditionis pretium constituatur.

98. Decimus † modus est, vt census constituatur perpetuus & irredimibilis, id est, vt neque emptori, neque venditori fas sit contractum resoluere. Et hunc † justiorem & securiorem esse docent plures
99. grauissimi auctores, dummodo grauamē venditori justo pretio compensetur. *Vid. Felician. l. 1. c. 7. n 4.*
100. Vndecimus † modus constituendi censum est, cum pacto assecurationis, atq; eâ lege, vt creditor nihilominus obligetur, etiamsi res
101. omninò pereat. Et quamuis hoc † pactum periculo vsurariæ intentionis non careat, eoq; nomine census (præsertim personalis) suspectus, ac proinde ex bulla Pij. V. vix validus sit, *Lessius l. 2 c. 22. dub. 12. n. 82. Vid Felician l. 1. c. 8. n. 19. §. tertio.* putat tamen Lessius, *l. 2. c. 22. dub. 10* & 11. Laynman. *n. 10.* probabiliter defendi posse. vide Couarr. *l. 7. c. 3.*
102. *n. 6. §. quòd autem:* vbi dicit; quòd non sit † inconueniens, vt venditor rei venditæ periculū habeat, modò pro eo aliquid vltra solitam æstimationē, quasi pretium periculi, recipiat. *per. l. periculi ff. de naut.*
103. *fen. l. 1. C. eod.* quia in omni materia † verum est, pacto & conuentione fieri posse, vt de rei interitu & peremptione quis teneatur, & fortuiti casus periculum in se suscipiat, vide ad longum Felician. *l. 1. c. 4. n. 5. §. secunda quoque.*

104. Duodecimus † modus constituendi censum est, vt soluatur loco pecuniæ frumentum, vinum vel alia præstatio. Sicuti enim potest solui pro censu pecunia, ita fructus aliquis ex pacto, *Fred. Martini. c. 4.*
105. *n. 104. cum seqq.* & quidem † multò magis, quia secundum ipsum maior est differentia inter mercem & pretium, vbi alias adhuc rationes assignat. vide Aluar. Valasc. *de iur emphyt. q. 32, num. 8.* Felicianum *cap. 4 n. 15.*

Am-

Amplia: † etiamsi locus censui subiectus talem fructum non- 106.
ferat, post Nauarr. *de Vsur. n.* 79. Eman. Sa. *V. censu. n.* 7. In quibus-
dam † tamen Prouincijs census in vino, frumento & alijs fructibus
est prohibitus, propter variationem pretij, & inæqualem fructuum 107.
æstimationem, vt de anteriori Austria, Hispania, & Gallia testatur
Frid. Martini. *num.* 106. Felician. *l.* 1. *c.* 4. *n.* 15. & à Rudolpho II. *in
ordinat. polit. anno* 1577. *Francofurti promulgata tit.* 19. statutum, vt
reditus fructuarij ad pecuniarios reducerentur, ad valorem vnius
pro 20.

Decimus † tertius modus est, vt reditus pecuniâ soluendi ad cer- 108.
tum vel definitum tempus constituantur, v. g. decem aurei ad annos
quindecim. Et hoc sanctè † & iustè fieri posse, absque vllo crimine 109.
& vsuræ vitio, putant nonnulli, quos refert Couarr. *Var. res. l.* 3. *cap.* 7.
num 4. qui cum illis sentit in casu, quo † emptor ex varijs solutioni- 110.
bus nihil vltra pretium datum recepturus est: si autem vltra aliquid
recepturus sit, non omnino reprobat, sed tamen aliquam dubitatio-
nem recipere putat, addens: Christianis † consulendum esse, vt ab 111.
hoc contractu abstineant, eò quod sit suspectus tantò magis, quantò
citius & breuiori tempore sors tota, & pretium ipsum recipitur, vide
in vtramque partem disp. Felician. de Solis. *lib.* 1. *c.* 7. *n.* 18. vbi con-
cludit, nec iniustum, nec vsurarium esse, quamuis consulat ab illo
abstinendum.

Decimus † quartus modus est, vt ad tempus incertum, v. g. ad 112.
vitam ementis constituatur, eòque mortuo extinctus censeri debeat;
subinde ad vitam non vnius tantùm, sed duorum, puta viri & vxoris,
aut etiam plurium *Gail* 2. *obs.* 8. *n.* 4. Et hunc † contractum cæteris 113.
iustiorem esse putat Couarr: *Var. res. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 3. §. *item & hac.*
Propter incertitudinem lucri & damni: eò quod mortuo emptore
non sit reddenda sors ipsa, quæ in pretium data fuit, Vide Eman. Sa.
in aphorism. V. censu. n. 3. vbi dicit, quòd Bulla Pij V. non prohibeat
emere certam pecuniæ summam ad vitam, vt pro 1000. 100. id enim
non esse censum, sed contractum do vt des. Confer Gail. *loc. cit. n.* 1.
vbi dicit: hunc censum fundari in incertitudine lucri & damni, & as-

similari emptioni jactûs retis, Felician, *loc. cit. n. 19.* vbi in vtramque partem disputat, justum tamen censum esse putat.

114. Limitat † tamen idem Gail. *num.* 4. dummodo ratio ætatum habeatur, & in junioribus, qui per ætatem diutius viuere possunt, maius constituatur emptionis pretium, quàm in senibus, quorum vita jam propemodum decursa est, & qui per ætatem diu viuere non possunt, *argu. L. hæreditatem ff. ad L. Falcid. & L. cum hi §. modus quoque*

115. *ff. de transact.* Monet † quoque idem Gail. *num.* 5. in istis emptionibus redituum ad vitam consuetudinem locorum attendi debere.

116. Decimus † quintus modus constituendi censum est, cum pacto legis commissoriæ, vt si per biennium, vel triennium pensio soluta non

117. fuerit, res censui subiecta cadat in commissum. Quamuis † autem Pius V. in sua bulla loco septimæ conditionis requisiuerit, vt non fiat pactum, quo venditor censûs incidat in vllam pœnam, ob moram solutionis pensionum, *Lessius dub. 12. n. 85.* & hoc pactum improbum censuerit Aluar. Valasc. *de iure emphyt. q. 32. n. 12. & n. 25. in f.* Felician. *l. t. c. 10. n. 11.* tamen idem Lessius *cap. 22. dub. 13. n. 68. & d.*

118. *num. 85.* causas † recenset, ob quas subinde aliquid ob moram peti possit.

119. Decimus † sextus modus est cum pacto, vt si census per biennium v. g. non soluatur, contractus resoluatur, & censuarius cogatur restituere pretium, de quo vide Lessium. *num. 69.* vbi admittit.

120. Ratio autem † vniuersalis, quare Theologi contra jus scriptū aliqua pacta admittant, est ista, quia nihil aliud ad justificandum hunc contractum videtur necessarium, quàm vt sit æqualitas secundùm æstimationem inter censum & pretium, & si quæ grauamina per pacta accessoria imponuntur, vt arbitrio prudentis debitè compen-

121. sentur. Et quia † vsura non est, nisi vbi ex parte rei est inæqualitas contra justitiam, ideo cum fieri possit, vt in contractibus aliter celebratis, quam Bulla Pij V. postulat, nulla sit inæqualitas justitiæ contraria, (vt si debitum aliquod conuertatur in censum, si non fiat coram notario & testibus, &c.) proinde inferunt, quòd nulla sit vsura, Lessius *dub. 12. in f.* qui *dub. 13. n. 92.* tradit alios Pontifices Nicolaum V. & Gregorium XIV. census sub alijs conditionibus constitutos permisisse.

misisse. De † pluribus alijs pactis censui adiectis, an valida sint, vide apud Felicianum de Solis. *l. 1. c. 10 per totum.* 122.

Atque hæc de modis censum constituendi, eorumque validitate satis, quam non tam disputare & examinare, quàm ad fundandas & declarandas sequentes quæstiones præmittere volui.

QVÆSTIO III.

Quotuplex sit census, & quibus verbis quisque inducatur, vel constituatur?

QVoniam † diuisa commodius & facilius percipiuntur, diuisimque traditum est magis clarum, & magis capax. *§. sed ne in-* 1.
premiis. 3. Vbi Dd. inst. de legatis. Fab. sup. rub. de actionib. ideo cognitâ naturâ † censuum, maioris claritatis causâ proximum erit vide- 2.
re, in quotuplici differentia sint constituti.

Desumuntur † autem differentiæ censuum tam ex diuersis acce- 3.
ptionibus vocabuli *census*, de quibus in quæstione prima, quàm ex diuersis cōstituendi modis, de quibus in secunda quæstione fuit actum.

Prima † diuisio censuum est ista: quòd census alius sit publicus, 4.
alius priuatus. Publicus † est, qui principi, vel reip. penditur, & nihil 5.
est aliud, quàm collectæ, contributiones, & pensitationes, quæ Principi vel ordinariè, pro mensura prædiorum, & numero iugerum; vel extraordinariè, belli aut alterius necessitatis causâ soluuntur, hoc sensu sumitur in tit. *ff. de Censibus.* Priuatus † est, qui priuatis per- 6.
sonis præstatur, occasione agrorum, prædiorum, vel alicuius tituli, hoc sensu exaudiendus *tit. C. de agricol. & censit.* vid. Iac. Schultes *in locis communibus. V. census. n 5.* Fridericum Martini. *c. 2 n. 1. & c. 8. n. 228.*
Ego † publico censu relicto, de priuato hoc loco agam, qui ita 7.
Subdiuiditur, † vt alius dicatur census reseruatiuus, alius consti- 8.
tiuus. Reseruatiuum cum dicunt, cùm quis fundum pleno dominij iure in alterum transfert, hoc pacto, vt sibi annuam pensionem ex eodem fundo præstet, *iuxta. l. f. C. de rer. permut. c. constitut. ext. de relegios. dom.* Laynman. *c. 18 n. 1.* Lessius. *dub. 2. n. 4* Felicianus de Solis. *lib. 1. c. 4. n. 15. de Censibus,* Couarr. *Var. resol. l. 3. c. 10. n. 5. §. primum, ad.*

eod. lib. 3. c. 7. n. 1, Menoch. *de præsumpt. l. 3. præs. 107. n. 4.* Frid. Martinii *c. 2. n. 18. & 19.* Molina. *tract. 2. de contract, disp. 381. n. 2. & disp. 372. in pr.*
9. Ratio † nominis est: quia ita transfert dominus agrum suum, vt sibi reseruet pensionem annuam. In quo ab emphyteusi differat, vide apud Molinam *disp. 381. n. 3.* Lessium *dub. 2. n. 5.* De hoc censu Dd. com-
10. muniter agunt *in §. adeo autem. inst. de locat. & cond.* & de † eo non est præsens disputatio, isque parùm nostris temporibus frequentatur, Felician. *loco. cit.* Molina *disp. 381. n. 9.*

11. Consignatiuus † siue constitutiuus census est, quando quis acceptà pecunià, vel gratis, constituit atque promisit ex suis (*plerumque*) bonis, præstare alteri annuam pensionem, Menoch. *l. c. n. 5.* Gail. *2. obs. 7. n. 4.* Lessius. *d. l. 2. c. 22, dub. 2. n. 5,* Felicianus. *l. c. n. 15* Laynman. *c. 18. n. 1.* Frid. Martin. *d. c. 2. n. f.* Molina. *disp. 383. n. 2.* vbi *n. 1.* Rationem
12. nominis † assignat, & dicit, idcirco consignatiuum appellari, quòd consignetur, constituatur, ac exhibeatur in rebus eius, qui illum concedit, manente dominio tam vtili, quàm directo in ipsomet conce-
13. dente. Et de † hoc censu constitutiuo in præsenti tractatu mihi potissimùm sermo erit. Alij eum impropriè, alterum autem propriè sic di-
14. ctum appellant. An autem † in dubio census proprius vel improprius, reseruatiuus vel constitutiuus sit præsumẽdus, vid Couarruuiã.
15. *Var. res. l. 3. c. 10. n. 5.* Frid. Martini. *c. 7. n. 111. cum seqq.* Disputant † etiam, quando de contractu aliquo dubitatur, num emphyteuticus sit, an censualis, quia constat solutam semper fuisse pensionem, & ignoratur, ex qua causa, vtrum judicandus sit censualis, an verò emphyteuticus, de quo vide Aluar. Valasc. *de iure emphyteutico: q. 32. n. 35.* Menoch *de præsumpt. l. 3. præs. 106, per totum* Molinam. *disput. 381. n. 8.* Nicol. Euerhard. *in locis legalibus loco ab emphyteusi ad censum. n. 5.* Propiùs autem accedendo ad propositum meum, & ad censum constitutiuum, in specie descendendo, diuiditur ille

16. Tertiò, † vt alius sit personalis, alius realis. Personalis est, qui personis imponitur, *Frid. Martini. c. 2. n. 16.* in quo sola persona est obligata ad pensionem præstandam, *Felician. d. c. 4. n. 15.* qui immediatè super persona, quæ seipsam ad pensionis solutionem obligat, constituitur. *Lessius l. 2. c. 22. dub. 2. n. 7.* qui fundatur super personam, obligante se ad annuam pensionem, sine ordine ad aliquam rem, ex

qua

qua pensio soluenda sit, *Laynman de pact: & contract. cap. 18. num. 2.* Realis † est, qui rebus imponitur. *Frid. Martini d. n. 16.* qui fundatur 17.
super rebus, vna vel pluribus, ex quibus pensio soluenda sit, v. g. super domo, agro, vinea, *Lessius. dub 2. n. 6.* siue, qui ita collocatus est in re aliqua, vt in illa, & ex illa debeatur census, resque ipsa afficiatur, *Frid. Martini. c. 8. n. 191.* Molina. *disp* 383. *n.* 5.

Personalis † iterum duplex est, alius merè personalis, quando 18.
nulla ei correspondet obligatio realis, eò quòd nulla alia res sit obligata, quàm persona: alius † non merè personalis, quando pro censu vl- 19.
tra personam est aliquid obligatum, non quidem tanquam res, in qua & ex qua debeatur, sed tanquam hypotheca ad assecurationem solutionis constituta, & apposita. & hunc † vocant censum personalem 20.
hypothecâ subnixum. vide Molin. *disp.* 383. *n.* 4. Frideric. Martini. *c.* 4. *n.* 53. Realis † etiam duplex, merè realis, quando, v. g. conuene- 21.
rit, vt res censui subiecta sola maneat obligata solutioni census, non autem debitoris persona, Felicianus de Solis. *d. c.* 4. *n.* 15. Mixtus † 22.
verò, quando & persona & res censui supposita simul obligantur, siue qui super re & persona constituitur, *Felician loc cit. Lessius. loc. cit.*

Et hoc discrimen ad meum propositum plurimum conducit, ideo de eo frequenter sermo redibit.

Quarta † diuisio, à pensione desumpta est ista, vt census alius sit 23.
fructuarius, qui penditur in fructibus, quando videlicet, vinum, frumentum, vel alij fructus præstantur: alius pecuniarius † cùm in pe- 24.
cunia numerata pensio soluitur: v. g. si centum florenis emam quinq; annuos ex agro vel pecoribus tuis præstandos, de quo vide Laynman. *loc. cit. n.* 2. *Less. d. c.* 22. *dub.* 2. *n.* 9. Frid. Martini. *c.* 2. *n.* 17. Ratio † huius 25.
est; quia non tantùm res illa, quam ager profert, censetur fructus eius, sed etiam pecunia illi æquiualens. Sicut fructus domus non solùm est vsus & habitatio, sed etiam pretium vsus, Lessius *dub.* 5. *n.* 36.

Quinta † diuisio est, quòd census alius sit certus, in quo determi- 26.
nata pecuniæ summa, vel fructuum mensura præstatur, v. g. vna scapha frumenti, vel 5. floreni: alius incertus † in quo indeterminata, vel 27.
pars aliqua quota. v. g. tertia, vel quarta pars fructuum constituitur soluenda, aut pro eis pecunia, *Laynman loc. cit. n* 2. *Lessius l.* 2. *c.* 22. *n.* 10. *Felician. loc. cit.*

28. Sexta † diuiſio deſumitur à tempore, & dicitur alius temporalis,
29. alius perpetuus. Temporalis eſt, qui ad tempus tantùm, idque † vel
30. certum, puta ad 10. vel 20, annos: vel incertum, † v. g. ad vitam
ementis vel vendentis cenſum, alteriuſue perſonæ conſtituitur, *Leſsius loc. cit. n. 11. id. dub. 6. in pr. Felicianus loc. cit. Layman. loc. cit. Frid. Mar-*
31. *tini c. 2. n. 13. & 15.* v. g. transfero † in te mille florenos, vt obligatus
ſis quamdiu viuis, vel quamdiu ego viuo, 50. aureos numerare,
32. *Layman. loc. cit.* Et hic † cenſus tranſacto tempore expirat, & extin-
guitur in termino ſorte non refusâ, *Leſsius dub. 6. in pr. Martini d. n. 13.*
33. Perpetuus † eſt, quando nullum tempus conſtitutioni apponitur,
34. quando perennis, jugis, & in perpetuum durat, *vide eoſd.* An † verò
tunc, ſi dictum fuerit, præſtari debere cenſum tali perſonæ, nomine
eius proprio expreſſo, in dubio intelligatur eſſe ad vitam dicti reci-
pientis, vide apud Iacob. Venentum. *de annua præſtatione, q. 21.*

35. Septima † diuiſio eſt, quòd cenſus alius ſit redimibilis, alius irre-
36. dimibilis. Redimibilis † eſt, qui ex pacto conuento redimi aut re-
uendi poteſt: ſiue cui pactum redimendi apponitur, idque vel ex par-
te ſolius venditoris, cui liceat reſtituto pretio cenſum redimere: vel
ex parte ſolius emptoris, cui liceat reſignato cenſu pretium repetere;
vel vtrimque redimibilis, quando pactum ex parte vtriúſque contra-
hentis verſatur. Irredimibilis † eſt, cui nullum redimendi pactum
37. apponitur, & qui inuita altera parte redimi aut reuendi non poteſt,
Layman loc. cit. Felicianus. loc. cit. Frid. Martini n. 14.

38. Quid † autem dicendũ ſit, quando conſtat cenſum annuum num-
marium alicui deberi, dubium autem eſt, an ſit perpetuus, vel re-
dimibilis, vide Felicinanum de Solis *l. 2. de Cenſ. cap. 5. n. 25.* Couarr.
var. res. l. 3. c. 10. n. 2. §. ſed & illud num. 5. V. quartò V. tertio. V. quod ſi. V. quintò § primum illud n. 5. Frid. Martini *c. 8. n. 6. & ſeqq.*
39. Nunc ad alteram partem quæſtionis accedendo, videlicet † qui-
bus verbis inducatur cenſus? difficultas potiſſimùm eſt, circa cen-
ſum perſonalem, realem, & mixtum.

40. Perſonalis † inducitur, meo judicio, quando quis ſimpliciter
vendit cenſum, abſque bonorum, vel rei alicuius expreſſione, hoc

modo

Quia † autem illæ simul consistere nequeunt, ideo Frid. Martini 125. *c. Vlt. n.* 12. *& seqq.* ita distinguit. Si census † titulo quidem emptionis 126. comparatus, nulla autem pensio sit soluta, & percepta, tunc nulla realis, sed sola actio personalis ex eo titulo, quo jus census est constitutum, v. g. actio ex empto competit, ad quasi possessionem tradendam, siue ad pensionem præstandam, *n.* 13. *& n.* 103. quia antequam pretium, aut res vendita tradatur, vel quasi tradatur, contrahentes personali obligatione sibi inuicem sunt obstricti, idem *c.* 4. *n.* 59. *& c. Vlt. n.* 95.

Si autem † contractus sit vtrinque completus, hoc est, pretium numeratum, res vendita tradita, vel quasi tradita, hoc est, si venditor jus census quasi tradidit, & annuas præstationes soluere cæpit, tunc alterum alteri obligatum non manere, sed finem accepisse contractum, & completum esse, *id d. n* 59. Si itaque aliquibus censibus præstitis debitor siue censitus sit morosus, quòd tunc reales actiones locum habeant. Et quidem † si in quasi possessione juris percipiendi turbetur, v. g. si neget debitor se censum debere, *Frid. Martini c. Vlt n.* 32. *& seqq* tunc interdictum *Vti possidetis* ad retinendam possessionem *num* 27. si spolietur, interdicto *Vnde Vi* ad recuperandam, *num* 30. vel etiam remedium *c. redintegranda* 3. *q* 1. *idem Martini n.* 83. competere, de quibus vide pluribus, Iac. Venent. *in tract. de ann. præst. q.* 2. *q.* 3. *per tot. cum seqq* vbi † tradit, quid probari, & quomodo libellus formari debeat, neque enim locus hic est, neque animus, hæc omnia plenè examinare, sed viam tantùm ad sequentes quæstiones sternere, *Vide eund. q.* 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. confer etiam *quæst.* 23. *cum seqq. Vsque ad p.* 2.

127. 128. 129.

130. Si autem † non de quasi possessione juris census contentio sit, sed jus census vindicetur, & asseratur, tunc actione confessoriâ agendum esse. Idem. *n.*84. *& seqq.* vbi tradit, cum quibus alijs remedijs
131. hæc actio cumulari possit. Ratio † est, quia hæc actio confessoria, sicut & negatoria non solùm pro seruitutibus competunt, vt *l.* 2. *§. f. l. si quis diuturno. ff. si seruitus vind.* sed etiam generaliter pro omni jure incorporali, secundùm Iaſ. *in l. si prius in pr. n.* 3. *cum seq. de noui operis*
132. *nun. & Ioan. Fab. §. aque inst. de action.* Illi † autem, qui negant confessoriam, vel negatoriam pro alijs juribus incorporalibus dari, volunt saltem officium judis competere. Quod in nostro proposito Iac. Venentus. *p.* 2. *de ann. præst. q.* 4. in practica tutius intentari posse putat, ad tollendas disputationes, an sit quædam seruitus, nec ne.
133. Si res † quædam pro pensione est obligata, vel hypothecata, tunc in censu reali, vel personali, aduersus censitū in pensionibus præstandis morosum, & quemlibet alium tertium possessorem ce[illegible]sitori datur actio quasi Seruiana, seu hypothecaria, *argu. §. item Seruiana inst. de action Frid. Martini. c. Vlt. de cens. n.* 104. qui *n.* 16. tradit, quod cen[illegible]tor aliquando ex Saluiano interdicto prædij censualis hypothecati, eiusque fructuum possessionem possit adipisci.
134. Ratione † census mixti competunt vtriusque, tam personalis,
135. quàm realis census remedia. Ratio: quia † particip[illegible] ab vtroque in causa, videlicet in obligatione, E[illegible] etiam in effectu, [illegible]
136. actione. Sed de his pluribus in quæ[illegible]s seqq. An † autem personalis cumulari possit cum actione co[illegible]ria, vide apud Frid. Martini. *c. Vlt. n.* 96. *& seqq.* vbi concedit p[illegible]: [illegible] ad diuersa compe-
137. tant, videl. ad jus census, & ad præ[illegible]. An † cumulatio actionis personalis & hypo[illegible]cari[illegible] sit [illegible], vide apud Mynſ. *cent.* 1 *obſ.* 58. Frid. Mart[illegible] *loc cit.* *n.* 10[illegible] *&* 105.
138. Fortasis † sine p[illegible], vnam dari in omni censu actionem censiticam, siue contra d[illegible]orem ipsum & eius hæredes, siue contra t[illegible]quæcunque ratione agatur, ita [illegible] [illegible] actiones sine necessitate, adeo [illegible]
139. [illegible] sc[illegible]tam esse. Nam † Frid. Ma[illegible] [illegible] obligatio nominis censuum va[illegible] ad

ad annuam pensionem præstandam obstrictus est, semper sit personalis (& si census sit realis) comiteturque semper rem ipsam, ex qua census debetur. Cum autem personalia personam tertiam non egrediantur, *l. cum qui 7. §. sed petenti. ff. de Publiciana in rem action.* sequi videtur, esse personalem in rem scriptam; eo modo, quo † aliqui dicunt, actionem ad recognitionem emphyteusis, vel ad pensionem emphyteuticã, esse in rem scriptã, Aluar Valasc. *de iure emphy q. 32. n. 19.* 140.

Verùm † hæc inuestigatio, quænam actio pro censu competat, plus laboris & subtilitatis, quàm vtilitatis habet, *Felician. de Solut. l. 1. c. 2. n. 7.* Nam quia hodie actionis nomẽ non est necessariò exprimendũ. *c. dilecti ext. de iudicijs. Gail. 1. obs. 61. nu. Vide Oldend. in locis communib. action. in pr. in collat. jur. Ciuil. & Can. n. 2.* ideo † sufficit factum ita apertè proponere, vt judex sine alia expressione possit jus agendi colligere. *Wesenb n. 11. & s de. O & A* Quomodo † autem proponendum, & qualiter libellus formandus, vide apud Iacob Venen. *p. 2. de annuis præstat. q. 5.* Vide præterea Frid. Martini *c. Vlt. n. 22. & seqq.* vbi præter remedia hactenus recensita, illa quoque tradit, vt si censitor habeat instrumentum guarentigiatum, implorato judicis officio, statim in prædia censualia paratam executionem petere; vel propria authoritate inuadere possit, si pactum tale inter ipsum & censitum intercesserit. *Vide eund. n. 110.* Vtrum ad futuras pensiones agi possit, & quatenus, vide apud eund. Frid. Martini. *c. Vlt. q. 3. n. 138. cum seqq.* 141. 142. 143.

QVÆSTIO V.

Vtrum emptor census, siue creditor, post alienationem rei censualis à debitore factam, conuenire possit tertium possessorem?

HOc † loco nullum dubium est, quin debitor, siue venditor census, possit alienare rem censui subiectã, saluo tamẽ jure census, *arg. L. liberto 12. in pr. ff. de ann. leg. L. nihil 120. in pr. ff. de leg. 1. Vide Bullã Pij V. post pr. V. quemadmodum nec pactum. Aluar. Valasc. de iure emphy. q. 32. n. 25. arg. L. nihil proponitur in pr. ibi: Salua causa legati ff. de leg. 1.* 1.

Ratio

2. Ratio † secundùm Lessium. *l. 2. c. 22. dub. 12. n. 83.* quia cum emptor census non habeat dominium rei censualis, sed venditor, & dominij proprius effectus sit, vt res alienari possit. *l. fructum, 72 ff. R. I.* nihil impedit, quo minus res censui subiecta liberè vendi queat, vide Felicianum de Solis. *l. 1. c 8. n. 1. & seqq.* vbi tradit, † non valere pactio-
3. nem, vt debitor non possit alienare rem suppositam censui, nisi vltra pretium legitimum daretur aliquid venditori pro eo grauamine, *id. c. 10. n. 28. § clausula.*
4. Quamuis † autem Pius V. in sua bulla, loco sextæ conditionis ad censum requisitæ, voluerit, vt dominus rei censuariæ, si illam vendere velit, indicet domino census pretium, & conditiones, quibus res est vendenda, & per mensem expectet, num ipse velit emere, eumque alijs præferat, *d. §. quemadmodum Lessius dub. 12. n 93. Valasc. q. 32.*
5. *n. 12.* Tamen † præterquam quòd Bulla Pij V. non sit apud nos recepta, notat Lessius *l. 2. c 22 dub. 12. n. 84.* quòd hæc conditio bene potuisset omitti, quia non pertinet ad contractum censuarium, sed em-
6. phyteuticum. Nec obstat † quòd emptor habeat ius quoddam ex ea percipiendi aliquos fructus, vel aliquid fructibus illis æquiualens: nam & creditor sæpe ius habet hypothecæ, & nihilominus res hypothecata liberè vendi potest à debitore, tanquam adhuc domino rei
7. hypothecatæ. Sed quia † onus hypothecæ transit cum re hypothecata, & comitatur rem, ad quemcunque possessorem peruenerit, *c. ex*
8. *litteris. 5. in f. ext. de pignor. l. si debitor. 12 C. de distract. pign.* ideo † nunc quæstio, est vtrum etiam obligatio, siue ius census, semper rem censui subiectam comitetur, & cum ea transeat ad alium dominum, vel singularem successorem?
9. Videri † posset, quòd non, idque per *tex in l. f. §. f ff de contrah. empt.* vbi Lucius Titius promisit de fundo suo centum millia modiorum frumenti annua præstare prædijs Gaij Seij, postea vendidit fundum, additis verbis his: quo iure, quaque conditione ea prædia Lucij Titij hodie sunt, ita veneant, itaque habeantur. Quærebatur: an emptor Gaio Seio ad præstationem fundi sit obnoxius? Respondit Scæuola, emptorem obligatum non esse. Cum tamen videretur ex illa promissione: *centum millia de fundo meo* constitutus census realis, *v. d. Aluar.*

Aluar. Valasc. q. 32. de Iure emphyt. n. 17 Facit † deinde ratio in superiori quæstione adducta, quòd videlicet ex hoc contractu (qui in spectâ suâ naturâ nihil aliud est, quàm emptio & venditio) nulla alia nascatur actio, quàm personalis, quæ non sequitur fundi possessorem, *arg. l. 1. §. hæres. ff. ad Trebell.* vbi dicit Vlpianus Iurisconsultus: neque enim æris alieni personalis actio fundum sequitur, ad idem est *text. in L. si fideicommissum. 50. §. tractatum. ff. de iudic.* vbi idem Vlpianus, æs, inquit, alienum patrimonium totum imminuere, non certi loci facultates, v. g. certos fundos, vel prædia. Ex quibus infert Guid. Papæ † *decis. 9. decis. 42. & decis. 576.* quòd si annua pensio super ali- 11.
quo fundo inter aliquos priuatos imponatur, & constituatur; quod postea tertius possessor talis fundi non possit tali actione pro dicta pensione conueniri. Excipit † tamen idem *d. decis. 9.* vnum casum, 12.
videlicet: si venditor census, vel eius hæres non sint soluendo, vel nullus amplius hæres appareat; quòd tunc saltem possit conueniri tertius possessor, etiam actione personali in subsidium, *per tradita Salyceti in l. 2. C. de hæred. vel. act. vend. in fine primi contrarij.*

Sed quia † in superiori quæstione ad longum ostendi, ex contra- 13.
ctu censuali non modò actionem personalem, sed quandóque realem, vel in rem scriptam nasci, *& d. l. f. §. f. ff. de contrah. empt.* de eo tantùm casu loqui, quo prædium præstationi redituum demonstrationis causâ fuit adiectum; insuper remedio subsidiario opus non est, quando ordinaria suppetunt, *L. in causa 16. in pr. ff. de minor. L. quoties 23. ff. de præsc. verb. VVesenb. n. 7. ff. eod.* ideo † sequitur, in omnibus istis ca- 14.
sibus, quibus realis actio ratione census nascitur, conueniri posse quemlibet possessorem rei, quia reales † actiones rem ipsam comitan- 15.
tur. *L. actionum 25. ff. de O. & A. l. si debitor. 12. C. de distract. pignor.* & jus reale prædio impositum res ipsas sequitur, in quemcunque possessorem transieri: *Aluar. Valasc. de iure emphyt. q. 32. n. 13. & 14.* Frid. Martini *c. Vlt. n. 117.* vbi ait: quemadmodum seruitus realis prædio inhæret, atque omnem prædij seruientis possessorem sequitur: ita jus census realis est quædam quasi seruitus realis, quæ fundum censualem semper comitatur.

Vt ergo † resolutiuè ad quæstionem respondeam, puto ita distin- 16.

17. guendum esse: vel † vendit aliquis simpliciter censum, nullâ factâ mentione suorum bonorum, & tunc extra controuersiam est, quòd in hoc censu merè personali nulla alia obligatio & actio, nisi merè personalis etiam nata fuerit, quæ non nisi contra debitorem, eiusque hæredes, minimè verò contra tertium, vel singularem fundi successorem competere potest, *per d. l. 1. §. hæres. ff. ad S. C. Trebell. L. si fideicommiss. 50. §. tractatum. ff de iudicijs. L. æris alieni C. de donat. & l f. §. f. ff. de contrah. empt.* Matth. de Afflict. *decis. Neap.* 95. *n.* 6. Valasc. *l. c n.* 18.
18. Quia † deficit jus agendi personali actione contra tertium possessorem, cum quo nullus contractus celebratus est, *id. n.* 23.

19. Vel † secundò vendidit censum, & expressè bona sua eo nomine obligauit, dicendo: se pro maiori certitudine & securitate census, hanc domum suam, vel hortum, aut agrum hypothecæ loco supponere, & tunc iterum nullum dubium est, quin jus in re, videlicet jus pignoris vel hypothecæ fuerit constitutum, quod quia quemuis possessorem sequitur, *c. ex liberis, 5. in f. extr. de pignor. L.* 12. *C. de distract. pignor. L. si fundus §. in vendicatione ff. de pignor Matth. de Afflict. decis. Neap.* 95. certum est, quòd quilibet tertius possessor actione hypothecaria conueniri possit. *Couarr. var. res. l.* 3. *c.* 7. *n.* 6. *Iac. Venent. de annua pensione. q.* 31. *Frid. Martini c vlt. n* 306. vbi † Rationem reddit: quia
20. actio hypothecaria, siue quasi Seruiana est realis, & ideo sequitur, daturque aduersus omnem possessorem. vide Molinam *disp.* 383. *num.* 6. vbi ait: quando census est personalis cum hypotheca, transeunte hypothecâ ad alium, is ad quem transit, non est debitor, sed ille potius, in quo census fuit collocatus, & hæredes eius: hypotheca verò manet obnoxia solutioni eius census, in euentum, quo persona, quæ censum debet, impotens effecta fit ad solutionem, ita quod bona non habeat, vnde solui possit.

21. Vel † tertiò vendidit censum annuum *ex, vel de bonis suis*, siue constituit censum *super bonis* vel prædijs, dicendo: Ich bekenne/ daß ich käufflich verkaufft 10. fl. Jährliches vnnd ewiges Zinses/ von vnd auß meinem Schloß/ Wisen/ Aecker/ Gärten/ ꝛc. auch auß dero Einkommen/ vnd Gefällen/ vmb 200. fl. Rheinisch in Müntz/ ꝛc hoc in
22. casu quia nascitur † iterum jus in re, vti in superiori quæstione ostendi,

di, ideo etiam tunc actio realis inde nata contra quemlibet possessorem rei censualis competere, & transire potest. Ad hoc facit *text. in L. Caio 13. in pr. ff. de alim. leg. & L. Stichus 20. §. item 2. ff. eod.* vbi is, in quem prædium, ex quo alimenta præstanda sunt, translatum est, ad alimenta præstanda tenetur. Vide Aluar. Valasc. *de iure emphyt. q. 32. num. 14.* vbi dicit: generale † esse in oneribus realibus, vt qui reperitur in possessione, conueniatur pro illo onere, quia prædia sunt, quæ 23.
debent, seu tenentur. Concordat † Molina. *disp. 383. n. 6.* vbi ait: 24.
quando census est realis, ille est debitor census, ad quem transit res, in qua census est collocatus, quia in illa, & ex illa debetur: Consentit Lessius † *l. 2. c. 22. dub. 2. n. 6.* vbi dicit: quòd in censu reali nascatur obligatio realis, quæ rem perpetuò comitetur, etiamsi alteri vendatur, tanquam onus quoddam, seu grauamen illi annexum, donec 25.
legitimè redimatur: *Vide eund. dub. 5. n. 35. adde* Laynman † *de pact. & contract. c 18 n. 12. & 13.* vbi tradit: quod in reali censu obligatio rei 26.
inhæreat, ita vt si census realis fundatus sit super vno, vel pluribus prædijs, actionem realem pariat erga rem, ita vt onus censuale per se ac directò transeat ad quemuis rei, super qua census locatus est, emptorem, legatarium, aliumué possessorem. Similiter Couarr. † 27.
Var. res. l. 3. c. 7. n. 7. vbi sic ratiocinatur: quando census siue reditus constituitur super aliquo fundo, tunc videtur jus quoddam super ipso fundo constitui, tanquam onus ipsius fundi: itaque hoc onus siue jus census transit in quemcunque possessorem, adeo vt quilibet singularis successor, qui fundum possidet, cogendus sit hunc reditum soluere, ac denuò præmissâ obligatione emptorem census, tanquam dominum ipsius juris percipiendi annuum reditum, ex ea re cognoscere. Confirmantur † hæc primo: quia in omnibus alijs oneribus 28.
realibus singularis successor conueniri potest. Sic si ex † certo præ- 29.
dio legata sunt alimenta; à quolibet possessore ea sunt præstanda, quia prædium est obligatum, *l. 2. & l. 12. ff. de aliment. vel cibar. legat.* Si † 30.
prædia pensione affecta ad Ecclesiam perueniant, Ecclesia immunitate non gaudet, *c. 1. & ibi gl. V. senioribus ext. de Censibus. c. tributum 23. q. 8. c. si tributum. 27. causa 11. q. 1.* Quando † proprietarius fundum 31.
alienat, neque vsusfructus, neque iter, actusué deperit, *L. neque vsusfructus*

32. *fructus. 19. ff. quib. mod. vsusf.* vbi VVesenb. *n.* 4. & generaliter † seruitutes prædiales fundum sequuntur, vnáque per alienationem tran-
33. seunt, *VVesenb. n. 2. C. comm. præd.* Sic † domo venditâ, censûs & pensitationes continentur, *VVesenbec. num.* 8. *ff. de contrah. empt.* Hinc
34. integer † *circa C.* sine censu vel reliquis fundum comparari non pos-
35. se. Sic † quando primus emphyteuta vendit jus suum, videtur, quod res transeat ad nouum possessorem cum onere pensionis ab eo soluendæ, *per L. fin. § idoneum ad soluendum. C. de iure emphyt. & in L. cum fundum. C. comm. præd. Matthæus de Afflictu decis.* 95. *n.* 5. Si ergo in omnibus alijs oneribus realibus tertius possessor conueniri potest, cur non etiam in onere censûs realis?

36. Confirmantur † secundo per praxin & vsum. Sic testatur Guid. Papæ. *decis.* 42. *n.* 1. quòd viderit in Parlamento Gracianopolitano ita determinari, quod tertius possessor, super qua pensio est imposita, & situata, qui nunquam recognouit (id est, qui seipsum nunquam obligauit) teneatur pensionem annuam etiam primario recognoscere & soluere. Idem *ibid.* refert, talem consuetudinem etiam ille in Sabaudia in canone debito ratione juris emphyteutici. Sic testatur additio *ad eund. Guid. Papa. quæst.* 576. quod in Senescalia Lugdunensi possit quicunque possessor conueniri pro pensione situata super possessione, quam tenet.

37. Quid † autem juris sit in successore in beneficio, an is teneatur ad præstandam pensionem, prout eius antecessor præstabat?

38. Videtur † quod sic, si pensio illa realis erat, & quando legitimè constituta fuit super beneficio, nam tunc videtur grauata dignitas seu successor, & Ecclesia viuente pensionario, per ea quæ tradit. Felin. *c. ad audientiam. col. 2. in 7. col. § quinta concl. ibi. sed aduerte. de resc.*
39. ac propterea successor conueniri poterit. Sed† si persona tantùm esset obligata, tunc esset secus *per. c. nisi essent. in f. de præb. & dign.* vbi Dd. notant, quando persona tantùm dicatur obligata, & quando non. Ita in terminis Iac. Venent. *in tract. de ann. præstat. quæst.* 30. vide Erid. Martini. *c. vlt. de Censibus. n.* 79. *& seqq.*

40. Hæc † autem, quæ dicta sunt, longè magis locum habent, quando venditor, qui consueuit censum soluere, in rei censualis venditione dixit,

dixit, se vendere cum onere soluendi censum, tunc enim possessor ille tertius tacitè & virtualiter censetur recognoscere cēsum. Vide Matth. de Afflictis. *decis.* 95. *n.* 6. Felician de Solis. *l.* 3. *de censibus.* *c.* 6. *n.* 5. vbi rationem videre licet.

Sed † qua actione agi potest contra tertium possessorem? Illi, 41.
qui † non nisi personalem concedunt, & eam nihilominus in certis 42.
quibusdam casibus contra tertium possessorem extendunt, & in specie Guid. Papæ. *decis.* 9 *inf.* vocat eam actionem in subsidium, hoc est, vt additio ad eundem intelligit, actionem vtilem & subsidiariam, per tradita gl. & Salicet, *in l.* 2. *C. de heredit. vel act. vend.* Ex vi † autem 43.
consuetudinis, quæ in Delphinatu aliisque locis obtinet, agere posse omnes actione directâ, contra tertium possessorem rei, super qua census, siue annua pensio imposita est, ad hoc, vt recognoscat & soluat, licet nunquam soluerit, neque recognouerit. Sed † quia supra con- 44.
cessi, in emptione census realis, siue contractu censuali, rem ipsam aliquo onere reali affici, ideo† non est necesse, ad hæc extraordinaria 45.
remedia confugere, sed nisi placeat actio censitica, vel ex censu, potes cū Guid. Papæ. *quæst.* 576. *n.* 2. dicere, quod, quando annua pensio imponitur super fundo, agere possit emptor confessoria contra tertium possessorem, impedientem annuam pensionum præstationē & perceptionem. Idem tenet. Laynman. *c.* 18. *de pact.* & *contr.* *n.* 13. Frid. Martini. *c.* *vlt.* *n.* 102. vbi † Rationem reddit: quia confessoria est actio 46.
realis, cuius ea est natura, quod contra omnes, qui jus alienum possident, aut in eius vsu dominum impediunt, concedatur. Alij † putant, 47.
quod aduersus tertium, denegantem soluere pensionem, detur interdictum possessorium, quod an verū sit, vide apud Aluar. *de iure Emphyt.* *q.* 32. *n.* 24. an interdictum † *vnde vi*, siue actio spolij contra singula- 48.
rem successorem detur, qui pensionem soluere recusat, vide apud Frid. Martini. *c. vlt.* *n.* 72. & *seqq.* Guid Papæ. *decis.* 629. Iac. Venent. *de annuis præst.* *q.* 19. & alios in superiori quæstione allegatos.

49.
Ad quid † autem tertius possessor potest conueniri? Ad hoc respondet Aluar. † Valasc. *de iure emphyt. quæst.* 32. *num* 14. non solùm 50.
ad hoc, vt teneatur censum soluere, sed nouum instrumentum, siue, vt loqui solemus, nouum titulum recognitionis domino facere,

id quod etiam Guid.Papæ. *decis.* 42. *n.* 1. *decis.* 43. & 576. Couarr. *Varia*
51. *res.* *l.* 3. *c.* 7. *n.* 6 Molina. *disp.* 383. *n.* 13. admittunt: & non tantùm † pro censu præsenti, sed etiam pro præterito, *argum. l. Imperatores. ff. de Pub-*
52. *lic. argum. l. apud Iulianum §. hæres. ff. de legat.* 1. Sicut † in pensione Ecclesiastica, & decimis, *Capyc. decis.* 20. *n.* 33. *Valasc. loc. cit.* & *n.* 19. & in
53. † canone emphyteutico, *per. l. fin. C. de Cens. l.* 11. *Salyc. in l. fin. C. sine censu vel reliquis* & *c. Matthæus de Afflictu. decis. Neap.* 95. *n.* 3. & in serui-
54. tio † pro feudo præteriti temporis debito, *id n.* 4. Vlterius † alij per-
55. gunt, & dicunt, tertium possessorem fundi cogi posse, non quidem simpliciter & absolutè, sed saltem alternatiuè, vt recognoscat censum, vel dimittat creditori rem ipsam affectam onere census, *argum. l. etsi fortè §. etiam. ff. si seruitus vind. l. filiusfamilias.* 114. *§. apud Marcellum. ff. de legat.* 1. & postquam recognouit, cogi, vt soluat præteritas pensiones, vide Matth. de Afflict. *decis. Neap.* 95 Felician. *de Solis. l.* 3. *c.* 6. *de cens. n.* 3. vbi multa de hac recognitione, & cuius effectus sit, doctè differit.

56. Hæc † quidem tot egregijs Doctoribus adstipulantibus, & praxi multorum locorum accedente probabiliter asseruntur, sed quia tex. *in dd. LL.* de voluntate & libero arbitrio debitoris, non de necessitate loquuntur, ideo quæ de recognitione dicuntur, de rigore juris non ita facile defenduntur, prout agnouit Petrus Salazar *in tract. de Vsu & consuetudine. c.* 31. *n.* 63.

QVÆSTIO VI.

Quid iuris, si prædia censualia in plures fuerint alienata, vtrùm omnes in solidum possint conueniri, an verò quilibet tantùm pro rata?

1. PRo intellectu præsentis quæstionis ponamus casum † talem: Sempronius acceptis mille florenis constituit Titio censum 50. florenorum annuorũ, in & super domo, horto, & agro suo: postea vendidit domum Petro, hortum Paulo, agrum Ioanni, qui omnes

cum

cum Sempronio nihil contraxerunt. Cùm autem Sempronius censum non posset consequi à Titio, vel quod sine hærede & bonis mortuus, vel quod facultatibus lapsus, vel aliàs difficilis conuentionis esset, voluit eo nomine conuenire Petrum, tanquam possessorem rei censualis, & ab ipso 50. florenos annuos petere. Quæstio est: † an possit eum, & quidem solum pro toto censu conuenire? Quod conuenire posit: iam in superiori quæstione declaratum fuit, vt ita hoc loco illud tantùm examinandum restet, an posit à quolibet possessore exigere annuum reditum, an verò teneatur omnes possessores pro rata conuenire, & actionem suam quodammodo diuidere, petendo à singulis tertiam, vel eã tantùm partem, quæ attentâ conditione cuiuslibet prædij ipsum contingere potest. 2.

Si prædia † illa hypothecæ tantùm loco fuissent censui supposita, facile esset respondere, quod quemlibet ex possessoribus emptor census posset in solidum conuenire. Ratio: quia † in hypothecis eo modo comparatum est, vt si res plures obligentur, & postea alienentur, vel vna oppignorata in plures diuidatur, creditor aduersus quemlibet possessorem agere possit in solidum, ad integram debiti solutionem, vel illius, quod detinet, cessionem, nec cogatur quemlibet conuenire pro rata, *per text. in L. Moschis. 47. ff. de iure fisci*, vbi Paulus ICtus æquum putauit, excussis debitoribus in reliquum possorem omnem (id est, vt Doctores explicant, singulos in solidum) agi debere, ad idẽ est *text. in l. 1. & 2. C. si vnus ex pluribus hæredibus creditoris vel debitoris, &c.* vbi in terminis habetur: quod † actio personalis quidem inter hæredes (debitoris, vt supplet Gothof. *ibid.*) pro singulis portionibus quæsita scindatur; pignoris autem iure multis obligatis rebus, quas diuersi possident, cum eius vindicatio non personam obliget, sed rem sequatur, qui possident, tenentes non pro modo singularum rerum substantiæ conueniantur, sed in solidum, vt vel totum debitum reddant, vel eo, quod detinent, cedant. Facit † tertiò textus *in l. 2. C. de hæreditar. act.* vbi Decius Imp. pro hæreditarijs partibus hæredes onera hæreditaria agnoscere iussit; nisi intercedat pignus vel hypotheca. Ex quo Dd. inferunt, quod personalis actio sit diuidua, pignoratitia seu hypothecaria indiuidua, vide Gothof. *ad hanc l. 2. & ad l. 1. C. si vnus* 3.
4.
5.
6.

ex

7. ex pluribus, &c. Ad idem † facit tex. in l. creditoris. 8. ff. de distract. pignor. l. si consensit. 7. §. fin. ff. quibus modis pignus vel hypoth. ibi: sed vtriusque pars pro indiuiso manebit obligata.

8. Ex quibus † deducitur, quod si census sit personalis tantùm, hypothecâ subnixus, & prædia hypothecata diuidantur, quod aduersus singulos possessores hypothecariâ siue. q. Seruiana actione in solidum, ad totius reditus solutionem, agi possit, siue, quod creditor possit eligere, quem voluerit, pro toto suo debito, Guid. Papæ. decis. 432. n. 4. vide Molinam. disp. 238. n. 10 Ferrariens. in pract. libel. resp. ad act. hypothec. §. exceptionem n. 14. Aluar. Valasc. de iure emphyt. q. 32. n. 15. Frid. Mar-
9. tini. c. vlt. de census. n. 128. Couarr. var. res. l. 3. c. 7. n. 7. vbi † hoc dicit procedere, etiamsi hi possessores non sint hæredes, nec successores illius,
10. qui actione personali tenebatur. Ratio est: quia † hypotheca est indiuidua. d. l. si consenserit. 7. d. l. 2. C. de hared. act. & indiuisa pignoris causa. l. rem hæreditariam. 65. ff. de Euict. Couarr. var. res. l. 3. c. 7. n. 7. & proinde etiam actio hypothecaria, Gothof. ad l. 1. C. si vnus ex pluribus.
11. Ratio † rationis: quia tota hypotheca pro toto reditu, & singulæ partes hypothecæ pro tota pensione sunt obligatæ, Frid. Martini c. vlt.
12. n. 132. Ratio † alia: quia alioquin creditor cogeretur cum pluribus rerum possessoribus litigare, & à pluribus separatim particulares solutiones recipere, maximo cum discrimine, & grauissimis expensis, id. Couarr. d. n. 7.
13. Respondent † quidem aliqui ad d. l. Mosch. Iurisconsultum ibi velle, contra omnem possessorem agendum esse, id est, vt pro re posses-
14. sa, & eius ratione, ac pro eius parte agatur, & sic pro rata. Verum † hæc explicatio ab eodem Couarru. d. c. 7 n. f. & à Frid. Martini. c. vlt. n. 135. rectè refellitur, propterea, quod dictio omnis singularis numeri, cuilibet in solidum actum tribuat, id. n. 128.
15. Ad † l. creditoris 8. ff. de distract. pign. & l. 1. C. si vnus ex plurib. respondent, eas tunc procedere, quando debitor ipse, vel aliquis ex eius hæredibus possidet omnes res obligatas, aut aliquam earum, nam eo in casu hypothecariam actionem competere in solidum pro re possessa, per vnum ex hæredibus: secus verò esse, si plures, qui non sint debitoris hæredes, possideant res hypothecatas, tunc enim vnum

quem-

quemuis, non nisi pro rata conueniendum esse. Et licet hæc explicatio † magnam habeat æquitatem apud Couarr. *loc. cit.* tamen putat 16.
priorem opinionem juri magis conformem esse. Et meritò. Ratio † 17.
meo judicio est ista: quia *d. l. creditorem.* 8. indistinctè & *l. si consenserit.* 7.
non de hæredibus, sed de socio loquitur. Item † si vnus hæres ex plu- 18.
ribus conueniatur actione personali, ad debitum soluendum, tunc actio scinditur, vt non nisi pro sua portione soluere cogatur: *d. l. 2. C. si vnus ex pluribus.* si autem conueniatur hypothecariâ, non conuenitur quâ hæres, sed quâ possessor, & eatenus, quatenus quilibet alius extraneus conueniri potest, *argu. l. 2. C. de hered. act.*

Hoc ita † præsupposito videri posset, quòd ex mente Henrici 19.
Canisij, Couarruuiæ & aliorum, qui rem censui subiectam tantùm pro hypotheca agnoscunt, semper & indistinctè possessores rerum censualium in solidum conueniri possent. Nihilominus † idem 20.
ipse Couarruuias, *l. 3. c. 7. n. 7. var. res.* contrarium tenet, videlicet: quòd quilibet ex possessoribus non nisi pro rata conueniri possit.

Ratio † secundùm ipsum est: quia hæc hypotheca, super qua 21.
census constituitur, non in totum sequitur naturam aliarum hypothecarum, sed est anomala, priuilegiata & irregularis, & quodammodo similis contractui, quo juxta formam juris Pontificij census constituebatur, *in c. cōstitutum, de relig. domib.* & modò constituitur ad imitationem fundi vectigalis, *L. communi diuidundo ff. communi diuid.* Sed
† Frid. Martini. *c. Vlt. n.* 134. rectè negat hypothecam, quæ annexa 22.
est censui personali, esse irregularem, sed dicit esse ordinariam, & sequi communes pignorum leges, quæ volunt, vt aduersus singulos possessores actio hypothecaria in solidum, hoc est, quantum pignus fert, detur *cit. LL.* & mea quidem † opinione magis, quam aliæ commu- 23.
nes hypothecæ. Nam illi, qui dicunt, hypothecam illam irregularem esse, asserunt etiam eam esse fortiorem, vt seq. quæst. dicetur, hoc ipso autem si firmior est cæteris hypothecis, magis dicendum videtur, vt quod in alijs conceditur, admitti debeat in hypotheca censuali, aliàs debilior esset, *Felician. de Solis l. 3. de cens. c. 4. n. 11.*

Puto proinde † omnes illos, qui se in hypotheca fundant, si con- 24.
uenienter loqui velint, concedere debere, quemlibet ex possessoribus

K in

in solidum conueniri, & ad integrum debitum soluendum, vel ad dimissionem rei possessæ cogi posse.

25. Sed quia † supra *quæst.* 4. concessi, in censu reali non jus hypothecæ tantùm, sed aliquod aliud solere constitui, ideo quæstio est: vtrùm abstrahendo ab omni hypotheca, etiam in vero reali censu, quilibet possessor in solidum conueniri possit, nec ne?

26. Hac † in re sunt duæ contrariæ opiniones. Aliqui putant, quòd nihilominus quiuis rei censualis possessor ad totum censum soluendum conueniri possit, Aluar. Valasc. *de iure Emphyt. q.* 32. *n.* 15. Molina *disp.* 383. *n.* 13. *& disp.* 391. *n.* 3. & plures alij apud Felicianum de Solis *l.* 3. *cap.* 4. *de Censibus.* 11. Lessius *l.* 2. *c.* 22. *dub.* 12. *n.* 89. Ad hoc

27. adducitur † primò textus in *L. cum possessor.* 5. *ff. de Censib.* vbi cum possessor vnus expediendi negotij causâ tributorum jure conueniretur, voluit Papinianus, vt aduersus cæteros, quorum æquè prædia tenebantur, fiscus actiones cederet, vt omnes pro modo prædiorum pe-

28. cuniam tributi conferrent. Sed † præterquam quòd nos hîc versemur in censu priuato, non publico, apparet ex principio illius legis, quòd fiscus vnum solum ex possessoribus conuenerit, quod qua ratione & quo iure factum, vide apud *gl. ibid. v. conueniretur.*

29. Secundò † allegatur textus *in L. communi diuidundo in pr. ff. communi diuid*: vbi ager vectigalis prohibetur regionibus diuidi, ne præstatio vectigalis confundatur, hoc est, ne confundatur censûs præstatio, propter varietatem partium, quæ plerumque est incommoda. *Gothof.*

30. *ibid.* Ex † quo inferunt, quòd per fundi vectigalis diuisionem, vectigal non diuidatur in præjudicium eius, cui debetur, qui totum ab eo, qui partem possidet, petere potest: consequenter nec censûs, qui si-

31. milis sit contractui fundi vectigalis. Putat † quidem Frid. Martini contrariæ opinionis assertor *c. Vlt. n.* 135. hunc textum pro se facere, eò quòd diuiso fundo vectigali vectigal non diuidatur. Sed ego non video, quid pro eo, & cur non magis contra eum in ijs terminis, in

32. quibus loquitur, militare debeat. Dicit † quidem *n.* 136. quòd argumentum inde sumptum tunc procedat, cùm res, quæ debetur, est indiuisibilis, quo casu cum tota vni sit adiudicanda, meritò is totam pensionem præstare tenetur: prædia autem censualia esse diuisibilia.

Verùm

Verùm † cum aliud sit prædia diuidi, aliud censum diuisibilem esse, 33.
& hoc posterius potius, quàm prius in quæstionem veniat, sicuti mox videbimus, ideo responsio ipsius mihi non placet, & argumentum quo ad ipsum adhuc bene procedit. Quamuis † mihi videatur in al- 34.
legata *l. 7.* potius illud definiri, quòd prædia vectigalia diuidi non possint, quàm quòd ijs diuisis in solidum quisq; conueniri possit. Sepositо itaque hoc textu, qui non ita bene stringit, affertur præterea

Ratio † huius opinionis ista: quia hæc videtur esse natura re- 35.
rum incorporalium, & jurium præsertim realium, vt pro indiuiso rem afficiant, *arg. L. is qui fundum 31. ff. de Vsufruct. legat. & l. 2. C. si Vnus ex pluribus.* vbi licet in specie de vsufructu, & jure pignoris agatur, tamen ratio, quæ ibidem redditur, generalis videtur. Nam cùm quæsitum esset, vtrùm possessores rerum hypothecatarum, pro modo singularum rerum, vel in solidum conueniri possint? Rescripserunt Impp. ad totum debitum reddendum actione reali conueniri posse, per † Rationem: quia vindicatio pignoris non personam, sed 36.
rem sequitur. Tacitè innuentes, actiones personales diuiduas esse, reales verò indiuiduas, & sic jura realia non pati diuisionem. Sed si dicatur jus census habere diuersam naturam ab alijs juribus, jam tota vis huius argumenti imminuitur.

Ratio † secunda: quia iniquum est, in plures aduersarios distrin- 37.
gi, qui cum vno contraxit, *arg. l. 1. in f. cum L. seq. ff. de exercit.* atqui emptor census cum solo venditore contraxit, E. non cogitur cum pluribus rerum possessoribus litigare, *Couarr. c. 7. n. 7.* conditio enim creditoris non debet fieri deterior, ex hæredum vel possessorum multiplicatione, *Lessius. l. 2. c. 22. dub. 12. n. 89.* Sed Frid. † Martini *c. Vlt.* 38.
num. 136 hoc argumentum non magni facit, propterea, quòd in personalibus actionibus conditio creditoris, ex debitoris hæredum pluralitate deterior fiat, diuiditur enim actio personalis inter hæredes pro portionibus hæreditarijs, *L. 2. C. de action. hæred. L. 1. & 2. C si Vnus ex pluribus.* Si † ipsi regeras, quòd in realibus aliud sit, & aliud in 39.
personalibus, *cum Gothof. ad d. l. 2.* admittit ille tunc, quando res vel lege, vel naturâ est indiuisibilis, vt pignus, secus si res diuisionem patiatur, vt in censu. Sed † hoc ipsum est in quæstione, vtrùm census 40.

diuisionem patiatur, nec ne, & an non lex & natura omnia iura realia, velint esse indiuidua, quod ex *d. l. 2. C. si vnus ex pluribus & rationes* vtcunque probabile redditur.

41. Ratio † tertia: quia nemo inuitus cogitur particularem solutionem recipere debiti liquidi, *l. tutor. 41. §. Lucius. 1. ff. de Vsuris.* particularis enim solutio & exactio sæpe multa habet incommoda, *l planè. 3. ff. familia. hercisc.* atqui si singuli possessores rerum censualium conueniendi essent, cogeretur emptor census à pluribus separatim particulares solutiones recipere, cum discrimine, & grauissimis expensis, *Couarr. d. n. 7. E.* Sed hoc argumentum eandem instantiam cum priori patitur.

42. Ratio † quarta: in Contractibus mentem contrahentium ante omnia inspicimus, *L. f. C. quæ res pignori obligari possint.* atqui in hac materia constitutionis censuum, ea omnium contrahentium mens esse videtur, cùm plura prædia censui submittunt, vt vnumquodque eorum obligatum sit pro toto censu, more hypothecarum, & vt melius emptori prospiciatur, quod non contingeret, si à pluribus teneretur pro rata exigere, quia vt in præced. ratione dictum, sæpe solutio & exactio partium non minima habet incommoda, Aluar. Valasc. *loc. cit. q. 32 n. 15.* vbi dicit: se hanc sententiam attenta mente contrahentium magis probare, & quòd in plurium possessionem & manus prædia venerint, id in præiudicium creditoris non debere cedere, *id. ibid. inf.* Consentit Molina *disp. 383. n. 13* vbi tradit: quod emptor census non aliter vellet celebrare contractum, exponendo se discrimini, vt si illæ res ad diuersos transirent possessores, cogeretur à singulis partem census, cum magno suo labore & detrimento exigere. Vide eund. *disp. 391. n. 3.* vbi ait: quòd dominus census agere possit aduersus singulos eorum ad integrum censum, inde ortum habere, quoniam nemo censum emere vellet, cum isto grauamine, Lessius *loc. cit. n. 89.*

43. Negat † quidem Fridericus Martini, quòd jure communi inspecto mens contrahentium sit, vt in censu reali singuli partium prædij censuales possessores in solidum conueniri possint, *d. c. Vlt. n. 136.* Sed ego de emptore parùm dubito, venditori autem culpam adscribo, quòd

quòd legem contractui non dixerit apertius, *L. in contrahenda. 172. ff. de R. I.* quæ verùm in tertios possessores porrigi debeat, non parùm subsisto.

Confirmatur † hæc opinio primò per communem vsum, praxin & consuetudinem. Sic Couarr. non obstante, quòd alterius sit opinionis, testatur in praxi apud Hispanos suam illam rarissimè receptam fuisse, seque scire, contrarium sententiá judicum frequentissime definitum fuisse. videl. quòd cuiusque prædij possessor singularis in solidum pro censu possit conueniri. de hac ipsa praxi & consuetudine testatur Lessius *loc. cit. n. 89.* Aluar. Valasc. *q. 32. n. 15.* 44.

Confirmatur † secundò à simili: quia si fundus censualis pro parte perit, census adhuc totus in reliquo conseruatur, vti videbimus. *q. 11. concl.* 8. Sed hoc ipsum controuersum esse ibidem deprehendetur. 45.

Confirmatur † tertiò ab alio simili, quia si ex pluribus hæredibus vnus non soluat pensionem emphyteuticam, communis opinio Doctorum est, totum jus auferri posse, juxta *gl. in l. Com. diuidundo ff. Communi diuid. Bart. in l. fraudati. 8. ff. de public. & Vect.* Verùm hoc ipsum quoque in dubium intra vocabitur. 46.

Itaque † in contrarium, quòd constituto annuo censu super duobus, tribus, vel pluribus fundis, vnus non in solidum, sed quilibet ex possessoribus non nisi pro rata conueniri possit, hoc est, pro quolibet fundo, juxta eius qualitatem & quantitatem competenti, siue juxta proportionem valoris cuiúsq; prædij, vt quilibet pro æqua & justa parte annuum censum cogatur soluere, & recognitionem facere, tradunt Guid. Papæ. *decis. 432. n. 4.* Aluar. Valasc. *de iure Emphyt. q. 32. n. 15* Couarr. *Var. res. l. 3. c. 7. n. 7.* vbi dicit, hanc opinionem habere maximam æquitatem, & licet contraria receptior sit, hanc tamen æquiorem esse, eámq; seruari in regno Neapolitano testatur Matthias de Afflict. *in constitut. Neapol. l. 3. rub. 17. n. 16.* 47.

Ergò † ex mente horum Doctorum, si census sit realis super certa re, sine hypotheca constitutus, tunc diuiso prædio censuali quilibet pro rata eius partis, quam tenet, conueniri debet, *Fred. Mart. c. 5. lit. n. 129.* 48.

Idque † ampliat Couarr. *l. 2. Var. res. c. 7.* vt licet vnus ex hæredibus 49.

debito

debitoris censiti rem aliquam ex his, super quibus census fuit constitutus, possideat, quòd adhuc pro rata, & non in solidum conueniendus sit. Ad hoc adducitur textus *in c. constitutus. ext. de religios. domib.*
50. vbi cùm episcopus quidam plures Ecclesias in sua diœcesi sitas ab omnibus episcopalibus juribus liberâsset, reseruatâ annuâ pensione, & quidam Abbas ratione suæ Ecclesiæ pensiones soluere recusaret, coram Pontifice in jus vocatus, vt eas pro rata solueret, fuit condēnatus,
51. *Idem Martini. n.* 130. Ex quo † Dd. cum Panormitano. *n.* 8. inferunt, quòd quando vna pensio cōnstituitur, pro pluribus rebus, tacitè videatur distributa in singulas res, vt sic quælibet teneatur pro rata ad pensionem constitutam.

52. Verùm † Couarr. ipse fatetur textum loqui de censu non constitutiuo, sed reseruatino, & in pensione constituta super pluribus Ecclesijs, quo casu vel fauore Ecclesiæ, vel ex mente contrahentium
53. quælibet Ecclesia pro parte onus illud sentire debet. Nihilominus † putat, etiam ad censum constitutiuum trahi posse. Jmò Frid. Martini. *c. Vls. n.* 135. existimat, nihil in *d. c.* singulare, sed in omni censu reali, ex subiecta materia, & ex mente contrahentium regulare esse, quòd prædio diuiso singuli pro rata ad pensionem teneantur.

54. Ego iam † aliquoties dixi, & sæpiùs adhuc dicam, ex textibus juris & separatis materijs, vix duci firmum & validum ad contractum censualem argumentum, habet enim propriam naturam à cæteris
55. non nihil diuersam. Cùm † itaque in defectu legum & textuum à naturali ratione sit arguendum, *argto. c. secundò requiris.* 41. *ext. de appellat. in f.* ideo huius suæ opinionis

56. Rationem † talem assignant: quòd ista obligatio census sit in rebus, siue: quòd jus istud reale sit cuilibet prædio impositum, diuisis
57. igitur rebus diuiduntur obligationes, *Vide Valasc. d. n.* 15. *in pr.* Sed † nunquid etiam jus hypothecæ, vsusf. & aliarum seruitutum est in rebus, cur E. in ijs non diuiditur obligatio, rebus & prædijs diuisis? Si dicas hanc esse naturam eorum, quæro: quare non similiter natura
58. omnium jurium realium? Couarr: † paulò aliam rationem *loc. cit. n.* 8. assignat: quòd constitutio & assignatio annui reditus super aliqua re facta videatur pro rata, & distributiuè. Sed hoc æquè facilè negari atque affirmari potest, Aliud

Aliud † argumentum deducitur ex destructione fundi censualis, 59.
qui si pro parte perit, communiter dicunt, quòd etiam census, pro illa parte pereat, quemadmodùm videbimus *inf. q. 11. conclus.* 8. E. si pro parte, vel per partes alienetur, obligatio & actio etiam diuidetur.

Dicit quidem † Lessius *l. 2. c. 22. dub. 12. n. 89.* obligationem non 60.
diuidi, quamdiu res salua manet, sed totam manere in tota re, & quodammodo in singulis partibus, ita vt ex quauis possit totam solutionem accipere. Ego autem † non video solidam aliquam rationem 61.
differentiæ, cur jus illud diuidatur re destructâ, & non etiam re alienatâ; si jus illud sequi debet subiectum suum in destructione & interitu, cur non etiam in alienatione & transitu? vel enim est diuisibile, vel non est: Si est diuisibile: cur non in vno casu æquè, atque in altero? si indiuisibile: cur re pro parte destructâ non manet obligatio tota? Si † dicas in alienatione factum debitoris & hominis intercedere, 62.
quod creditori nocere non debeat; in destructione autem casum plerumque fatalem. Respondeo: † etiam diuisionem prædij censualis abs- 63.
que facto debitoris contingere posse, per tertium possessorem, qui illud à debitore sibi comparauit.

Præsuppositâ † itaque sententiâ illa, quòd re pro parte destructa, 64.
pereat census pro parte, planè difficile est negare, quòd re pro parte alienatâ, non etiam pro parte actio debeat institui. Sed quia † hoc 65.
ipsum suppositum dubium & controuersum, vti *inf. q. 11. conclus.* 8. videbimus, ideo in eo me non firmo.

Adhuc † aliud argumentum mutuantur ex jure emphyteutico, 66.
& dicunt: Si emphyteuta decedat pluribus hæredibus relictis, quorum vnus suam canonis portionem soluat, alter non, tunc licet aliqui dicant, totam rem emphyteuticam ad dominum reuerti, hoc tamen rigidum, durum, & iniquum pronunciat Fachinæus. *l. 3. controu. iur. c. 97.* Frid. Martini. *n. 137.* Oldendorp. *in class. forens. act. rub. de action. emphyt. q. 7.* vbi ait: quòd ea opinio sit summi juris, & quòd æquitas ei sanè repugnet, quam plerique *in c. potuit ext. de locat.* sequuntur, juxta regulam. *c. suam ext. de pænis*, & quòd propterea in judicio sit præferenda. Verùm hoc ipsum argumentum vti apparet, non juri, sed æquitati innititur.

Quid

Quid † E. tandem de jure respondendum? Mihi videtur tota
67. difficultas in eo consistere: vtrùm census sit totus in toto, & totus in qualibet parte: an verò ita extensus, vt non totus sit in singulis partibus, sed pars in parte? Hac in re iterum discordes sunt opiniones,
68. ita vt quidquid dixeris, errare vix possis. Aluar. † Valascus. *q. 32. de iure Emphyteut. n. 35.* tradit: quòd totus fundus, & quælibet eius pars sit subiecta oneri censuali. Similiter Lessius *l. 2. c. 22. dub. 12. q. 89.* docet obligationem non diuidi, sed quamdiu res salua manet, totum manere in tota re, & quodammodo in singulis partibus. Quod si verum est, statim sequitur, quòd si prædium censuale in plurium manus
69. venerit, à quouis integri census solutio peti possit. Sed † contrariū, quòd census totus sit fundatus in agro censuali, & pars in parte agri, tenet idem Lessius *dub. 12. n. 88.* ita vt pereunte parte agri, pereat census pro rata. Similiter Molina *disp. 391 clausf. 8. n. 3.* censum, ait, ita in re tota extēsum esse; quòd tota obligatio sit in re tota, & pars in parte, atque inde effici, vt pereunte parte rei, in qua census est collocatus, pereat pars census. His accedit Frid. Martini. *c. Vlt. n. 129.* vbi dicit: quòd census realis extensus sit in toto, non autem totus in singulis partibus, sed pars in parte: atque inde sequi, quòd prædio censuali ex parte perempto, jus census partim extinguatur. Quod si
70. † verum est, eadem ratione sequitur, quòd prædio censuali pro parte tantū alienato, possessor non nisi pro parte tantùm conueniri possit. Nam ex toto quidem prædio censuali tota pensio debetur, at ex singulis prædij partibus tota pensio non deberetur, Martini. *n. 132.*
71. Ego priorem † opinionem iuri nostro communi, menti contrahentium & praxi, posteriorem autem æquitati & bullæ Pij. V. magis conformem esse iudico. Ita vt si velimus censum regulare secundùm naturam aliorum iurium realium, totus & integer à quolibet possessore partis peti possit, sed inspectâ naturâ census, quam ei Pius. V. de nouo dedit (ad eum modum, quo Zeno Imperator contractui emphy-
72. teutico *§. adeò inst. de locat. & conduct.*) non nisi pro rata. Ita † vt in locis, in quibus bulla Pij. V. recepta est, (vel in totum, vel fortassis etiam in tantum, in quantum est declaratiua iuris antiqui) creditor non in solidum, sed pro parte tantùm possessorem conuenire possit,

siue

siue pro ea parte, quæ distributione factâ pertinere potest ad rem per eum possessam; siue, quòd diuisâ re censuali in plures hæredes, aut emptores, legatarios, donatarios, &c. singuli solummodo pro rata partis rei ad solutionem illius contribuere teneantur, Molina. *disp.* 391. *n.* 3. *circ. f.* Sed hoc ipsum.

Limitatur † primò: vt integer census, à quocunque possidente partem rerum censualium, peti possit, si consuetudo patriæ hoc ferat. Quemadmodùm vsu in Hispania receptum esse testantur Aluar. Valasc. *q.* 32. *n.* 15. Molin. *disp.* 383. *n.* 13. Frid. Martini. *n.* 131. *c. Vlt.* vt contractus cum eo grauamine, & priuilegio ementis censum censeatur celebrari, *idem disp.* 391. *n.* 3. *in f.* 73.

Limitatur † secundò: nisi alia fuerit mens contrahentium, tunc enim contractum metimur ex mente contrahentium, *argum. l.* 1. *§.* 2. *&* 3. *ff. de pact.* Ex quo infert Molina *disp.* 383. *n.* 13. in Hispania, & si nihil sit expressum, judicandum esse, eam fuisse contrahentium mentem. Ratio: quia † contractus secundùm loci vel regionis morem & consuetudinem initus & celebratus præsumitur, *Martini. n.* 131. 74. 75.

Sic ergò ex hac quæstione eiusque decisione, prodeunt duæ conclusiones.

Prima † est: si census fuerit personalis hypothecâ tantùm subnixus, quòd tunc quilibet rei obligatæ possessor conueniri possit in solidum. 76.

Secunda: quòd † in censu reali, *in super*, vel *ex* certis prædijs vendito, similiter quili et in solidum inspectâ naturâ jurium realium, sed attentâ Bull. Pij V. non nisi pro rata conueniri possit. 77.

Quid † si autem census realis sit certis prædijs impositus, adhuc tamen aliorum prædiorum hypothecâ adiunctâ? tunc ratione rei, super qua census est constitutus, aduersus singulos juxta conclusionem secundam: ratione verò hypothecæ aduersus quemlibet in solidum juxta conclusionem primam agi potest. vide Frid. Martini. *n.* 132 *eund. c. Vlt. n.* 120. 78.

QVÆSTIO VII.

Utrùm debitor censûs conueniri poßit nihilominus ad soluendum censum, postquam prædium censuale in quendam alium, siue tertium possessorem transtulit?

1. AD hoc † respondent aliqui, quòd transeuntibus rebus, super quas census est collocatus, ad alios possessores, actio non amplius competat aduersus venditorem census, & hæredes illius; & quòd indistinctè non amplius teneantur, Aluar. Valasc. *de iure emphyt. q.* 32. *n.* 14. Frid. Martini. *c.* 8. *n.* 198 Molina. *disput.* 383. *n.* 13.

2. Ratio † affertur talis: quia census habet se instar seruitutis prædio affixæ, in quo census est collocatus, sicut autem prædio, in quo est seruitus, in tertium possessorem transeunte, seruitus comitatur prædium, neque vlla actio ob seruitutem competit aduersus primum, qui illam concessit, aut hæredes eius, (nisi forte prædium euincatur) sed actio solùm competit aduersus possessorem: ita se res habet in censu reali, Molina *disp.* 383. *n.* 12.

3. Deinde † probatur à simili: Vasallus & emphyteuta, si feudum & emphyteusin non possideant, ad officia, seruitia & pensiones non obligantur, *Iac. Venentus p.* 1. *de ann. præst. q.* 25. *n.* 10. *n. videtur ergò.* E. etiam constituens censum, eiúsque hæredes, si prædium censuale non possideant, ad annuas pensiones soluendas non sunt obligati. *Frid. Martini. c. vlt n.* 118.

4. Limitant † tamen, nisi in casum euictionis, vel subsidium, *Valasc. loc. cit. n.* 14. *in f.* Nam si res euincatur, tunc sicut possessoribus tenerentur primus venditor, & hæredes illius de euictione, (vnusquisq; hæredum pro rata partis, in qua hæres venditoris existeret): sic quoq; possessori census tenerentur de censu, vnà cum rebus illis euicto, *Molina disp.* 383. *n.* 13. *in f.*

5. In † contrarium, quòd posit annui reditûs emptor, si voluerit, omisso tertio fundi possessore, agere ad annuum reditum, aduersus ipsum

ipsum constituentem, vel eius hæredes, etsi non possideant rem, super qua reditus fuerat constitutus, tenet Couarr. *var. resol. l. 3. c. 7. n. 6. §. hinc etiam.* Ratio secundùm † eum est: quia is, qui constituit & vendidit censum annuum, se & hæredem suum personaliter obligat. Arbitratur enim, quando census est realis, non solùm ex illo oriri obligationem realem, ratione cuius actio detur aduersus possessorem rerum censualium, sed etiam personalem, ex parte venditoris census, ad eum soluendum, quæ alienatis prædijs maneat in ipso, & transeat in hæredes. Ratio † alia: quia fundus censui subiectus secundùm eum habet se tantùm instar hypothecæ, ex eo autem, quòd hypothecæ in tertium possessorem transeant, non desinit principalis ac primus debitor manere obligatus ad debitum. Sed † hoc fundamentum falsum esse dicunt Molina *disp. 383. num. 10. §. tertiò. n. 11. & 12. 13.* Frid. Martini. *c. 6. n. 119.* ac proinde corruere, quidquid super eo construitur & ædificatur. Negant enim prædium censuale hypothecæ solùm loco haberi: negant, principalem obligationem in omni annuo censu, etiam super re certa constituto, semper esse personalem. 6. 7. 8.

Ego ad hanc † quæstionem breuiter respondeo, distinguendo inter censum personalem, mixtum, & realem. Si † census est merè personalis, tunc nullum dubium est, quin venditor siue censitus per alienationem rerum suarum non liberetur, quia ille solus quoad suam personam est obligatus, res autem ipsæ nullo onere affectæ; obligatio autem personalis ita est affixa ossibus contrahentis, vt ab ipso diuelli nequeat. 9. 10.

Si † census est personalis hypothecâ subnixus, tunc etiamsi hypotheca alienetur, vel in alium transferatur, manet tamen debitor obligatus. Ratio: quia † hypotheca accessionis tantùm loco fuit constituta: Ergo illâ etiam alienatâ manet obligatio personalis, tanquam principalis, *Lessius l. 2. c. 22. dub. 5. n. 35. circ. f.* vide quæ dicentur inf. *p. 2. q. 2. conclus. 5.* 11. 12.

Idem † est, si census sit personalis, & prædium demonstrandi tantùm causâ nominetur, vt intelligatur, ex quo prædio pensio debeat percipi, nam & eo casu prædio vendito manet censitus ad annuam præstationem obligatus, *text. express. in l. f. §. f. ff. de contrah. empt.* *Frid. Martini c. 8. n. 240.* 13.

14. Si † census est merè & purè realis, tunc si res ad alium transferatur, prior dominus omni obligatione soluitur, Lessius. *c. 22. l. 2. dub. 5. n. 35.* Frid. Martini. *c. Vlt. n. 117.* vbi eandem cum Molina ratio-
15. nem † assignat: quòd quemadmodùm constituens in suo prædio seruitutem, si id prædium ad tertium perueniat, seruitus sequitur prædium, ita quòd prædij possessor, non autem constituens, aut eius hæredes actione confessoria teneantur: ita quoque, si census sit merè & purè realis, & prædium censuale ad tertium perueniat possessorem, is solus, nullo autem modo constituens, aut eius hæredes confessoriâ
16. teneantur. Aliud simile † deduci potest ex hypotheca. Nam quando aliquis pro alio res suas oppignorari patitur, vel creditori, non suo, sed alieno pignus in re sua constituit, tunc rem quidem obligat, sed quoad suam personam minimè obligatur, ita vt si contingat pignus in alium transire, amplius neque ipse, neque hæredes eius à creditore conueniri possint.

17. Sed † nunquid etiam in censu reali persona constituentis est obli-
18. gata? E. etiam in illo constituens conueniri potest? Lessius † *l. 2. c. 22. dub. 2. n. 6.* dicit quòd in censu reali præter obligationem realem (*vel potius ius reale*) nascatur quoque obligatio personalis in eo, cuius illa
19. res est. Similiter Laynman † *c. 18. de pact. & contract. n. 12.* tradit, quòd in reali censu obligatio rei inhæreat, atque in personam tendat. Si rectè eos intelligo, illi mihi hoc dicere & sentire videntur, quòd licet conuentum fuerit, vt census sit realis, tamen hoc ipso, quia tacitè hoc actum, vt vnus sit creditor, alter verò debitor, ideo in consequentiam
20. persona obligabitur. Ita † Frid. Martini. *c. 8. n. 195. & seqq* vbi tradit, etsi census sit realis, tamen simul concurrit obligatio personalis, comitatúrque semper rem ipsam, ex quâ census debetur, hæc autem hominis obligatio principalis non est, sed accessoria, & consequens jus census. Nam venditor censûs, eo ipso, quòd ex re sua alteri jus censûs vendit, in consequentiam ad annuas pensiones personaliter obligatur: quò fit, quòd res ipsa, ex qua census venditur, principaliter sit obligata, atque in eo jus emptum, persona verò, quæ censum vendidit, secundariò ad annuas præstationes sit obligata. vide etiam Molinam *disp. 383. n. 7. in f.* vbi dicit, semper cum obligatione esse con-

iunctam

iunctam obligationem personalem, quia cùm minimùm tenetur tradere rem ad solutionem, saltem in defectum alterius, qui debitum soluat.

Quod † si verum est, nunquid hoc ipso, quòd constituens censum personaliter obligetur, etiam post alienationem rei censualis rectè conuenietur? Couarr. & † alij, qui personalem obligationem pro principali reputant, id facilè concedunt. 21. 22.

Verùm † illi, qui existimant obligationem realem magis principalem esse, putant, quòd tunc, si res, ex qua census est comparatus, vendatur, vel ad tertium transeat possessorem, nouus ille emptor, non venditor, ad annuam pensionem præstandam obligetur. Etsi enim is, qui censum constituit, sese obligauerit, hoc tamen non fecit simpliciter & absolutè, sed donec, quamdiu, & quatenus rem, ex qua census est venditus, possideat, Molina. *disp.* 383. Frid. Martini. *c.* 8 *n.* 197. *cum seq.* 23.

Sed † quia supra *q.* 4. *circ. f.* negaui, in censu merè reali obligationem personalem nasci, ideo apud me difficultas cessat, & de eo tantùm. 24.

Quæstio † remanet, an tunc, si census constitutus sit his verbis: *Vendo tibi censum super prædijs meis*, alienatis istis prædijs constituens adhuc conueniri possit, nec ne? Ad quod respondeo † affirmatiuè. Ratio: quia talis census non est merè & purè realis, quemadmodum sup. *quæst.* 3. dixi, ita vt constituens tantùm ratione rei, & quamdiu rem ipsam possidet, teneri debeat. Nam † vel mens vendentis non erat se hoc modo ad prædium adstringere, & tunc frustra hoc asseritur. Vel erat, & tunc mentem suam debuisset meliùs exprimere ad hunc effectum. Voluntas † enim in mente clausa abortiua est, *Bald. in l.* 3. *n.* 32. *C. qui admitt. ad poss.* & propositum in mente retentum nihil operatur, *L. si repetendi* 7. *C. de condict. ob caus. L.* 25. *C. de transact.* Non † enim dubito, quin mens ementis censum, illis verbis auditis & intellectis, sit longè alia, vt nimirum & personam & rem velit sibi obligatam. Cum † itaque interpretatio contra eum sit facienda, qui apertius legem contractui dicere debuit, *c. contra eum. de R. I. in* 6. & in specie pro emptore contra venditorem *L. in contrahenda* 172. *ff. de R. I.* existimo † saluo aliorum iudicio, 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31.

verba ista: *Vendo tibi censum ex prædiis meis* obligationem personalem atque realem æquè principaliter importare, atque vtrúmque æquè principaliter, tam venditorem census, quam possessorem rei conueniri posse. Hac † de causa, cùm quis promisisset Delphino pro guardia singulis annis vnum bichetum frumenti, in & super bonis suis, postea autem hæres ipsius à solutione sub hoc prætextu se liberare & exonerare vellet, quòd de bonis promissis nihil possideret, nihilominus per Dominos consiliarios & assessores parlamenti Gratianopolitani conclusum fuit, quòd hæres deberet prædictũ frumentũ soluere. Vide Guid. Papæ *decis. 9.* Felician. de Solis *l. 4. c. 4. n. 5. & c. 8. n. 5. Ve-*

32.

33. *contrarium vero,* vbi similiter tradit, quòd † re censuali alienatâ, obligatio personalis duret, & perstet integra, vi cuius à debitore, eiusque hæredibus & fidejussoribus possint exigi census decursi, & dicit, se hanc sententiam defendisse semper legendo, consulendo, & patrocinando.

34. Ex his facile † colligitur, quòd in censu mixto, qui partim sit personalis, partim realis, si prædium vendatur tertio, possit creditor, siue emptor census, pensionem exigere, tam à venditore census, ratione obligationis personalis, quàm à tertio ratione obligationis (*vel potius iuris*) quæ est in prædio, Lessius *lib. 2. c. 22. dub. 4. n. 23.* Dico

35. *à venditore census;* quia aliud est † in tertio possessore, qui ipse non vendidit, aut constituit, neque venditori hæres extitit, is enim alie-

36. natione factâ prorsus non tenetur amplius. Ratio: Nam † hic tantùm erit obligatus censum soluere, dum fuerit eiusdem rei siue prædij censualis possessor: quod si verò res illa absque fraude eius ad alium deuenerit, non poterit prior possessor ad solutionem reditus conue-

37. niri, Couarr. *l. 3. var. resol. cap. 7. n. 6. §. hinc etiam.* Ratio † rationis: quia census, qui fuerat mixtus apud venditorem ipsum, apud tertium

38. possessorem merè realis efficitur. Hinc † dicetur *inf. quæst. 11.* tertium possessorem post interitum rei censualis liberari à præstatione censuum.

39. Sed nunquid † tertius possessor actione personali ad hoc conueniri potest, vt recognoscat ipsum creditorem, titulúmq; nouum eidem faciat, quemadmodùm supra *q. 4.* fuit dictum: Et etiam ipse con-

contrahit obligationem personalem, à qua se minimè liberare poterit per alienationem rei censualis? Ego † iam supra dixi, apud me valde 40.
dubium esse, an tertius possessor talem recognitionem facere debeat, nec ne? Hoc tamen concesso nihilominus respondent † Dd. quòd 41.
tunc, si res sit alienata, & translata in alium, absque fraude, tunc ille recognoscens non possit in futurum conueniri. Rationem † assignat 42.
Couarr. *loc. cit.* & post ipsum Felicianus de Solis *l. 3. c. 6. de Censib. n. 7.* talem: quòd recognitio, personalis obligatio, & titulus nouus, non plus afficiat quoad substantiam obligationis ipsum recognoscentem, quàm is anteà virtute possessionis tenebatur. Interponitur † etenim 43.
ea obligatio & recognitio ex necessitate possessionis, & oneris adhærentis rei possessæ, & ideo est intelligenda solùm, in quantum necessitas ipsa postulat, cùm non fiat animo inducendæ nouæ dispositionis, sed ad eum effectum, vt possit competere executionis & excussionis jus contra ipsum recognoscentem. Sed nunquid actio & executio absque recognitione competit?

Hoc † tamen limitant; nisi aliud ex instrumento recognitionis 44.
probari possit, quòd videlicet possessor ille animo nouandi obligationem se obligauerit, tunc enim id, quod adscriptum est, obseruandum erit, Couarr. *loc. cit.* Felician. *loc. cit.* vbi Rationem † reddit: quia 45.
recognoscens liberè potuit obligare se ipsum ad persoluendos reditus annuos, etiam re alienatâ, peremptâ & destructâ.

Sublimitant: † dummodo voluntate côtrahentis adscriptum fuerit, *Couarr. loc. cit.* non ex incuria notarij. Ratio: † quia non figurâ 46. 47.
literarum, sed mente & sensu nostro obligamur, *l. non figura 38. ff. de O. & act.* & consueta † notarij formula partibus incommodo esse 48.
non debet, si plus scriptum, quàm dictum sit, *Gail. 2. obs. 27. n. 24.*

Plura † pro hac quæstione vide *inf. q. 10. & q. 11.* Nam in multis † 49.
casibus, quibus re dimissâ aut peremptâ debitor à præstatione 50.
census liberatur, ijsdem etiam re alienatâ ab obligatione soluitur.

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

Utrùm in contractu censuali relicto venditore, siue debitore census, liceat conuenire possessorem rei censualis?

Siue

Vtrùm tertius possessor conueniri possit non excusso prius venditore census?

1. QVandoquidem † in superioribus quæstionibus dictum fuit, quòd re censuali in alium translatâ, vterq; tam nouus possessor, quàm ipse venditor conueniri, & ad solutionem census adigi posit, illud examinandum superest, quisnam ordo inter eos seruandus? & an vnus præ alio sit conueniendus?

2. Ex † mente eorum, qui putant hunc contractum esse meram emptionem & venditionem, ita vt fundus tantùm loco pignoris seu hypothecæ maioris securitatis causâ accedat, videtur sequi, & rectè deduci, quòd venditor census, & eius hæres, prius conueniendi sint, quàm tertius hypothecæ possessor, *iuxta auth. sed hodie. C. de obligat. & act. auth. hoc si debitor. C. de pignor. Vide Henr. Canis. c. 11. f.* 189 imò & fideiussores debitoris, eorumque bona, antequam perueniatur ad pignorum possessores, *ita Guido Papa decis.* 432. *n.* 1.
3. Notum † est enim, quòd tertius possessor, qui nec contraxit, nec contrahenti hæres extitit, actione hypothecaria conuentus se tueri posit aduersus actorem exceptione excussionis, *d. auth Couarr. Var. res. l.* 3. *c.* 7. *n.* 6. *Molina disp.* 383. *n.* 9. *Frid. Martini c. Vle. n* 114.
4. Nihilominus † illi ipsi, qui se in hypotheca fundant, concedunt, quòd tertius possessor ante venditorem census conueniri posit, Couarr. *loc. cit* Guid. Papæ. *decis.* 42. & 576. Felician de Solis. *l.* 3. *c.* 4. *de Censib. n.* 9. Canis. *c.* 11. *fol* 180. vbi ait: quòd hodie relicto † venditore census, vel eius hærede, directè & immediatè conueniatur possessor hypothecæ, & ab eo auocetur hypotheca.
5.
6. Rationem † nullam aliam reddit, quàm quòd cre-

da-

dat id fieri ex recepto vsu extrauag. Martini V. & Calixti III. tum & Pij V, quoad hanc saltem hypothecam. Sed † aliam Rationem assignat Couarr. & post eum alij, quòd videlicet hypotheca censui subjecta, quæ super aliquo prædio ratione census soluendi inducitur, non omninò sequatur leges aliorum pignorum, & hypothecarum, sed sit anomola, irregularis, priuilegiata, & cæteris longè fortior, ita vt possessor ad solutionem censûs conueniri possit, etiam nullâ factâ, nec præmissâ excussione. 7.
Vnde † Nicol. Boerius *decis. Burdegal. 295. n. 17.* & post eum Couarr. *loc. cit.* docent, quòd in hypothecis perpetuò duraturis, siue in reditus annui constitutione super certis prædijs actio hypothecaria non tantùm accessoria, sed principalis quodammodò censeri debeat. 8.

Limitant † tamen: vt licet viâ ordinariâ emptor reditus annui possit experiri aduersus tertios pignorum possessores, non excusso debitore principali, non tamen viâ executiuâ: siue vt aduersus tertium possessorem, habentem jus à debitore annui census, non habeat locum jus executionis paratæ, quoad ipsa bona specialiter pro solutione constituta, Couarr. *var. res. l. 3. c. 7. n. 6. §. hinc etiam in f. Vide etiam* Felician. de Solis. *l. 3. c. 4. n. 6. & l. 1. c. 10. n. 3.* 9.
Et † sublimitat Couarr: nisi in contractu fuerit appositum pactum de non alienandis illis rebus, sicuti frequentissimè apponitur. 10.
Ratio: quia † hypotheca impedit translationem dominij, si alienatio prohibita, & res ipsæ pro obseruantia huius conuentionis obligatæ, & hypothecæ suppositæ sunt. *L. si creditor §. f. ff. de dist. pign. Rosenthal. de feud. c. 7. conclus. 25. n. f. Guido Pap. decis. 560. n. 1. & 2. Ant. Gabriel. l. 3. conclus. 1. de pignor. & hyp. n. 1. Nicol. Boerius de pact. illustr. famil. c. 4. f. 60. & seqq.* 11.
Iubet tamen † prædictus Felicianus. *d. c. 4. n. 6. & 7.* cautos esse judices, & circumspectos hac in re, eò quòd viderit passim & absque delectu mandari executioni instrumenta censualia, vulgari formâ confecta, aduersus tertios hypothecarum possessores. Ita se se explicant, qui rem censui subjectam non nisi hypothecam esse autumant. 12.

Verùm † rectè notauit Aluar. Valasc. *de iure emphyt. q. 32.* non esse, cur in hoc jus singulare inducamus in hypotheca annui reditus, quasi ea sit fortior & irregularis, vtpote non requirens excussio- 13.

 nem

14. nem principalis. Nam si intelligimus onus illud reale esse, excusamus prædictas singularitates, Improbat † etiam fundamentum Couarruuiæ Molina *disput.* 383. *num.* 8. Et meritò. Nam ipse *l.* 3. *var. res. cap.* 7. *n.* 6. tradit, quòd † per constitutionem census
15. videatur jus quoddam super ipso fundo constitui, & quòd passim apud Hispanos constitui soleant super aliquo fundo tanquam jus reale, & seruitus adhærens eidem fundo. Idem *l.* 3. *v.* 11. *n.* 5. dicit, quòd hæc hypotheca non sit communis, sed eam qualitatem habens, vt super eo fundo jure cuiusdam seruitutis annuus reditus sit constitutus. Li-
16. cet † igitur verbotenus inter se differant, re ipsâ tamen & in effectu conueniunt.

Mihi † videtur cardo totius negotij, & difficultas in eo consiste-
17. re, vtrùm illa obligatio realis, an verò personalis sit principalis, & quæ ex illis accessoria? Couarruuias, † Canisius & Felicianus putant,
18. realem accessoriam tantùm esse, personalem verò principalem. Hinc non est mirum, quòd cunctentur asseuerare, possessorem rei non excusso principali conueniri posse. Sed † Frid. Martini putat realem
19. magis principalem, personalem verò accessoriam esse, *c.* 8. *num.* 196. vnde non est mirum, quòd neget, constituentem eiusque hæredem posse vel debere conueniri, antequàm tertius prædij censualis possessor fuerit interpellatus; *c. vlt. n.* 119. præsertim cum velit, tertium possessorem solum ad annuam pensionem præstandam obligari, primum autem debitorē, qui prædium alienauit, prorsus conueniri non posse, *c.* 8. *num.* 198.

20. Ego † qui mediam sententiam amplexus fui, videlicet personam & rem æquè principaliter obligari, dico censitum, siue venditorem census, & tertium possessorem æquè principaliter conueniri posse, ac proinde in electione creditoris siue emptoris esse, quem ordinem inter illos seruare, & priùs conuenire velit. Itaq; † ad meam distin-
21. ctionem redeo, & attendendum puto, vtrùm census sit merè personalis, an verò hypothecâ subnixus, an merè & purè realis, an denique mixtus.

Si est † merè personalis, tunc quia contra tertium actio non da-
22. tur, frustra de ratione ordinis quæritur, *Martini c. vlt. n.* 115. §. 1. personalia

sonalia enim ad personam tertiam non egrediuntur, *l. eum qui, aliàs l. sed etsi 7. §. si petente ff. de public. in rem action.* itáque solus venditor & eius hæredes conueniri possunt, *per l. 1. §. si hæres. ff. ad Trebell. l. si in f. ff. de contrah. empt.* eò quòd personalis † obligatio non sequatur fundum, nec eius possessorem, *per l. 3. §. 1 & ff. ad Senatusconsultū Velleian. L. vlt. C. de hæred. act. l. 15. C. de donat. Gothof. ad d. l. f. ff. de contrah. empt.* 23.

Si est † personalis hypothecâ subnixus, tunc possessor tertius actione quidem hypothecariâ conueniri potest, sed non nisi in defectum principalis debitoris, si videlicet excussis eius bonis soluendo non sit, itáque constituens eiúsq; hæredes ad solutionem pensionum prius sunt conueniendi, *auth. hoc si debitor C. de pignor. Aluar. Valasc. de iure emphyt. q. 32. num. 14. Molina disp. 383. n. 4. & 6. Laymann de pact. & contract. c. 18. n. 13. Frid. Martini. c. vlt. n. 113. & 116.* Nam hypotheca † solùm constituitur ad securitatem contractus alterius, vnde ex ea non est soluenda pensio, nisi eo euentu, quo aliter non posset obtineri, *Less. l. 2. c. 22. dub. 2. n. 7.* 24. 25.

Si est † census realis mixtus, tunc tertius possessor non excusso prius constituente, tanquam principali debitore, conueniri potest, Aluar. Valasc. *loc. cit. n. 14. & proinde in nostra* Laynman *cap. 18. num. 13.* vbi tradit, quòd hic modus constituendi censum sit emptori magis vtilis, quàm census personalis tantùm, hypothecâ subnixus, propter beneficium excussionis. 26.

Si † est census merè & purè realis, tunc tertius possessor prædij censualis, nullâ constituentis, aut eius hæredum excussione factâ, ad pensionem soluendam conueniri potest, Frid. Martini. *loc. cit. n. 117. c. vlt.* Ratio: quia tunc actio contra constituentem prorsus non datur, E. frustra inter eum & possessorem ordinis ratio seruatur. 27.

Denique † si census sit realis, & nihilominus hypothecam annexam habet, tuncantequàm ad possessorem rei hypothecatæ perueniatur, priùs venditor census conueniendus, sed contra possessorem fundi censualis statim ab initio agi potest. Per tradita Martini. *loc. cit. n. 120.* 28.

QVÆSTIO IX.

Utrùm dimißis bonis censiticis poßit aliquis se liberare à præstatione censuum?

Siue

Utrùm debitores ad præstationem censuum obligati se liberare poßint per oblationem bonorum censualium in solutum?

1. QVotidiè † ferè contingit, vt quoniam prædia censui subiecta exiguum amplius fructum ferunt, sterilia, inculta, & ruinosa effecta sunt, imò adhuc integra nullam amplius, vel saltem exiguam æstimationem recipiunt, vt debitores breui compendio se ab omni molestatione & exactione creditorum liberare, prædia illa sua in solutum dare, atq; ea ratione sese expedire cupiant; ideo quæ-
2. stio nunc † restat, vtrùm creditor teneatur hanc oblationem acceptare, & prædia pro pecunia in solutum accipere, licet illa quoad æstimationem modernam crediti quantitatem non attingant?

3. Frid. † Martini *c. 8. n. 228.* existimat, quòd integrum & liberum sit censito, vel pensionem præstare, & soluere, vel fundum censualem sterilem & deterioratum deserere, & censitori relinquere, atq; eà ratione se ab onere census liberare: idē repetit. *n. 233. & n. 235. in f.*

4. Pro hac † opinione facit primò textus *in l. etsi fortè. 6. § etiam 2. ff. si seruit. vind.* vbi Vlpianus ICtus, & ante eum Labeo respondit: licere domino prædij seruientis derelinquere prædium, atque ita ser-
5. uitutis præstationem euitare. Ratio † ibidem annectitur: quia hanc seruitutem, (vt videlicet cogatur aduersarius reficere parietem ad onera sua sustinenda) non homo debet, sed res.

6. Secundò † textus *in L. filiusfamilias. 114. §. sed si Titij. 4. ff. de leg. 1.* vbi Martianus ICtus respondit: legatarium esse audiendum, si velit dimittere fideicommissario, cui aliquid annuum est relictum, fundum, cuius causâ oneratus fuit per testatorem, si nolit annuum præstare.

Tertio

Tertiò † textus *in l. si absente. 48. in princ. ff. de vsuf.* vbi cum quis absentis vsufructuarij negotia in reficienda v. g. domo gessisset, & eo nomine actionem negotiorum gestorum intentare vellet, respondit Paulus ICtus, eum ab actione illa liberari, si paratus sit recedere ab vsufructu. Similiter † Vlpianus *in l. 64. ff. eod.* cùm, inquit, fructuarius paratus est vsumfructum derelinquere, non est cogendus domum reficere, dummodo non suo suorumque facto deterior sit facta. *l. 65. ff. eod.* 7. 8.

Quartò † textus *in L. in numerationibus. 44. in pr. ff. de Solut. l. cum dominum. 13. C. de pign. & hyp.* Ex quibus deducitur, quòd debitor pignoribus cedendo, eáque creditori in solutum dando liberetur, Nic. Boerius *decis. 309. n. 6.* 9.

Hinc † quando quæritur: an datione pignorum & fideiussorum fiat debiti solutio? communiter dicitur, debitorem, qui paratus est dare pignora, vel fideiussores pro pecunia debita, soluere debitum, & ita à debito liberari, nam † vulgatum in ore omnium est verbum, 10. 11.
mit Bürgen vnnd Pfanden redtet der Mann sein Halß / vide Arnold. de Reyger. *in thesaur. iur. lit. C. n. 585.* Sic etiam Wesenb: *in parat. n. 9. ff. de contrah. empt.* dicit: si quis pignore carere velit, satisfacere videtur voluntati aduersæ partis, quæ conqueri non potest, cum hoc contractus pignore antea fuerit contenta, *argto. l. à D. Pio. 15. §. 3. ff. de re iudicat.*

Quintò † argumentum desumi posse videtur, ex *l. si quis. 35. §. si Gerò. C. de donat.* vbi habetur, si quis reditum certum ex possessionibus suis donauerit, necesse habere de sua substantia fundos tradere, tantum reditum inferre valentes, quantum in donatione posuerit. Ex † quo Dd. inferunt: si quis promittat alicui annuum reditum ex suis possessionibus, id est, fundis, v. g. decem modios frumenti, quod is possit cogi, vt pro fructibus assignet certam partem possessionum. E. similiter promissor, si pigeat ipsum laboris, quem caperet in colendis agris, & colligendis fructibus, si velit curam rusticam à se reijcere in posterum, potest pro illis decem annuis assignare, & tradere certas quasdam possessiones. His textibus accedit 12. 13.

Sextò Ratio † talis: obligatus ex eo, quia actionem habet, ceden- 14.

do eam liberatur, *tex. & gl. in l. quod debetur. 51 ff. de peculio.* (v. g. si venditor cedat emptori condictionem contra furem, vel rei vindicationem) E. etiam obligatus ex eo, quia possidet prædium censuale,
15. cedendo illud, & dimittendo liberatur. Rem † enim tenens, re sæpe obligatur, etsi aliàs non obligaretur. *L. si apud. 21. ff. deposit. vbi VVesenb. n. 8.*

16. Septimò † facit Ratio alia: quia quòd in constitutione censuum prædia obligentur, id fit in fauorem venditorum, vt expressè habetur in extrauag. Calixti ibi: *in illorum venditorum fauorem* circa medium; atqui non apparet, qualis fauor censendus sit, nisi per eorum derelictionem possit se liberare; alioquin enim magis onerosum esset debitori, cuius magis interest, ne res suæ hypothecæ subijciantur, sed fiat absque hoc onere, *vide Capis. c. 31. de vsur. & cens. f. 162.*

17. Pro † negatiua, quòd videlicet per cessionem & derelictionem prædiorum, super quibus census constitutus fuit, non liberetur venditor, siue debitor census, facit primò ista.

18. Ratio: quòd † obligatio ad solutionem annui census præcipua sit personalis, fundus autem, vel res ipsa, super qua reditus constituitur, accessoriè tantùm apponatur pro certiore solutione, *argt. l. fundus quem vbi Bart. ff. de ann. leg. Couarr. var. res. l. 3. c. 7. n. 5. §. quartò.* (Simile quid habetur apud Sichardum, *ad l. si quis. 35. §. 1. n. 7. C. de donat.*
19. vbi † ait: qui promittit annuum quiddam, is est tantùm obligatus personaliter) atqui per cessionem pignorum in solutum non liberatur debitor, *vide Oldend. class. 3. act. 13. de pignor. act. directa in f.* vbi tradit, quòd debitor non possit creditori inuito pignus relinquere pro debito, sed quòd creditor rectè petat id, quod sibi debetur. Ratio-
20. nem adiungit † talem: quia pignus non eo accepit animo, vt emeret, sed vt pro securitate haberet, *L. 1. C. de pignor.* nisi conueniat inter eos, vt creditor retineat pignus justo pretio, & reliquum debitori restituat.

21. Ratio † secunda: si fundus censualis in totum destruitur, per hoc debitor census non liberatur, quemadmodùm dicetur *inf. quæst. 11.* E. multò minus, si tantùm à debitore derelinquitur: videtur enim in casibus, quibus rebus peremptis perit jus census, etiam ijs derelictis idem jus perire.

Ratio

Ratio † tertia deſumitur ex traditis ab Angelo *ad L. ſi ferro. §. etiam ff. ſi ſeruit. vind.* vbi refert Dd. volentes, ſi onus ſit ex diſpoſitione contrahentium, quòd quis non liberetur derelinquendo rem, ſecus ſi ex diſpoſitione legali, Iac. Venentus *p. 2. q. 32.* 22.

Ratio † quarta priori ſubnixa eſt: quia diſſolutio contractus non debet eſſe in poteſtate debitoris, vt ſcilicet per illius renunciationem ſoluatur ſiue extinguatur id, quod ab eo antea dictum, *per L. ſi res, ff. quib. mod. pig.* Venentus *loc. cit.* adde *l. 3. C. de reſc. vend.* vbi de contractu emptionis & venditionis jure perfecto, altero inuito nullo recedi tempore bona fides patitur, etiamſi venditor pretium velit reſtituere, *L. 7. C. eod.* VVeſenb. *n. 9. ff. de contrah. empt.* 23.

Ratio † quinta: ſolitus percipere talem penſionem propter rem, non poteſt ad libitum pænitere, & rem velle. E. nec præſtare ſolito hoc licere debebit, cum contractus claudicare non debeant, *L. ſi cum dies, §. penult. in f. ff. de arb. L. 2. l. ſi id quòd § f. ff. de reſc. vend. Iac. Ven. l. c.* 24.

Ratio † ſexta priori ſimilis: quod quiſque juris in alium ſtatuerit, eodem jure vti debet, *l. 1. ff. quod quisq. iuris,* & contra quod quis in ſe nollet admittere, id ab alijs non debet petere, vel deſiderare, *Dd. ad L. in arenam 31. in f. C. de inoff. teſt.* atqui quando aliquis certos reditus conſtituit, & creditor veniret dicens: tu promiſiſti mihi annuos modios decem ex tuis agris, volo potius agros habere, & fructus per me colligere, ad hoc ipſe debitor cenſus inuitus non vellet ſe cogi. E. ipſe quoque non debet creditori inuito agros obtrudere, debet enim contrahentium æqualis conditio eſſe, *Nouell. 64 c. 1. in f. Mynſ. cent. 4. obſ. 61. n. 11 vide Sichardum ad l. 35. §. 1. C. de donat. n. 2. & è diuerſo.* 25.

Ratio † ſeptima: quia aliud pro alio inuito creditori ſolui non poteſt, *L. 2. §. mutui datio, L. 11. §. mutui ff. ſi cert. pet. L. eum ff. de ſolut. VVeſenb n. 4 ff. eod.* E. non licet dare prædia pro penſione annua, *gl. & Sichardus ad d. l. 35* ſicut nec pignora pro pecunia, *Arnold de Reyger in theſ. iur. V. creditor. n. 585.* 26.

Ratio † octaua: quod fauore alicuius inductum eſt, in eius odium & diſpendium retorqueri non debet, *L. quod fauore 6. ff. de LL. c. quod ob gratiam 6. de R. I. in 6. argt. L. non eò minus. 14. C. de procurat. argt. l. ſi iudex 41. ff. de Minor.* atqui quòd prædia, ex quibus cenſus ſoluuntur, aſ- 27.

ſignen-

ſignentur & obligentur, id in fauorem emptoris ſiue creditoris receptum eſt, (vt certiorem & tutiorem habeat reditus ſolutionem) non incommodum debitoris, qui reditum vendit, & conſtituit.
28. E. non debet in odium retorqueri, quod fieret, † ſi emptor censûs aliud pro alio *contra l. 2. §. mutui datio. ff. de reb. cred.* & præ-
29. dia pro cenſibus in ſolutum accipere teneretur. Neque † enim omnibus conſultum eſt prædijs, tum propter curam & culturam, quàm non omnes ſciunt, neque exercere poſſunt; tum quia prædia emptorem, præſertim hoc tempore, rarò inueniunt, vel modico nimis pretio væneunt: tum quia res omnes neceſſariæ pecuniâ conquiri, *Bald.*
30. *l. 2. C. de conſt. pec.* facile de vno loco in alium transferri, imò † & occultari poſſunt, ne diuitiæ pateant inuidiæ, *l. 2. §. quid enim C. quando & quib. quarta pars.* agri autem, & cætera prædia omnium conſpectui expoſita. *Vid. Schneidew. §. item Seruiana. n. 28. inſt. de action.* in propatulo ſemper, & inuidiæ malignantium, auaritiæ militum, nec non cenſitorum militarium grauamini ſunt ſuppoſita.
31. Confirmatur † inde: quia emphyteuta ius ſuum domino inuito non poteſt refutare, *Bald. ad l. 2. § quaero an emphyteuta. C. de iure emphyt. Suarez. com. opin. lit. E. n. 94. deciſ. capell. Tholoſ. deciſ. 405.* & rem emphyteuticam ſine cauſa relinquere, *Iac. Ven. p. 2. de ann. praeſt. q. 33 n 4.*
32. vbi duobus modis limitat. quemadmodum † nec dominus poteſt ſine iuſtis cauſis auferre rem emphyteutæ, etiamſi quis meliorem offerat conditionem, poſt Bart. *in l. 2. C. de fund. patrim. Oldend. in claſſ. forenſ. act. rub. de act. emphyt. in affin. remed. n. 9.* E. neque cenſitus rem cen-
33. ſualem. Sequela probatur: quia † contractus recens inuenti ſequuntur formam illorum, quibus maximè ſunt ſimiles. *Per. l. 1. §. ſi quis ſeruum. ff. depoſiti. id. ibid. n. 7.*

Et hæc ſunt argumenta, quæ in vtramq; partem adduci poſſunt.
34. Ego non † poſſum vnum ſimplex reſponſum dare, ſed volo ad conſuetam meam diſtinctionem redire, vtrùm videlicet cenſus ſit merè & purè realis, an verò realis mixtus, an ſimpliciter perſonalis, & an hypothecâ ſubnixus; & juxta hanc diſtinctionem, quatuor concluſiones facere.
35. CONCLVSIO † PRIMA: ſi cenſus ſit merè perſonalis, tunc

fruſtra

frustrà disputatur, an per oblationem bonorum censualium liberetur venditor, quia nulla bona censui fuerunt supposita. Sicut itaq; nullus alius creditor cogitur à debitore, qui adhuc soluendo est, prædia in solutum, *argu. auth. hoc nisi. C. de solut. à contrario sensu*, vel ita accipere, vt ijs vtatur, fruatur, & de fructibus satisfactionem accipiat: ita nec emptor census, *vide D. Zorerum. q. 2. n. 207.* vbi allegat Colerum. *de process. execu. p. 3. c. 7. n. 77. & seqq.*

36. CONCLVSIO † SECVNDA: Si census sit tantùm hypothecâ subnixus, tunc debitor rem hypothecatam non nisi volenti creditori in solutum dare potest, per Rationem primam supra pro negatiua allatam. Vide pro hac conclusione præterea Gothof. *ad L. à diuo Pio 15. §. si pignora. v. addicantur ipsi ff. de re iud. eund. ad l. creditor. 28. ff. de reb. cred.* Quàmuis † autem creditor sponte pignus recipiat, tamen si minus sit in pignore, quàm in debito, tunc id, quod deest, exigere non prohibetur, *l. creditor. 28. ff. de reb. cred. l. si creditor. 26. ff. de solut. l. 9. in f. ff de distract. pignor. l. 10. C de O. & A.* vbi Gothof. Rationem assignat: 37.
† quòd personalis actio aduersus debitorem non tollatur, etiamsi pignora creditor eligat, sed quòd pretium pignoris in debitum computetur, & residuum actione personali petatur, *vide Capyc. decis. 33. & 40.* quemadmodùm etiam † tunc, si pignora ipse creditor distraxerit, *L. si creditor 26. ibi & quantum ei debeatur receperit. ff. de solut.* vel si † à magistratu ei addicta fuerint, tunc ea quantitate addicuntur, quæ debetur, *L. à Diuo Pio. 15. §. si pignora. 3. ff. de re iud.* Idque colligitur à simili: quia etiam donator annui reditus non se aliter potest liberare, quàm si tales possessiones assignet & tradat, ex quibus possit tantùm singulis annis colligi, quod æquet illos reditus v.g. decem modios debitos, *Sichard. loc. cit. n. 2. in fig. cas.* Hoc tamen limitatur, nisi † voluerit pignora in creditum possidere, ijsque contentus esse, *d. L. à. D. Pio.* Quid si autem adiudicentur, anne & tunc perpenditur mensura debiti? vide Gothof. *ibid. n. quantitate. gl. & Ias. ibid.* 38. 39. 40. 41.

42. Confirmatur † conclusio inde: quia si pereat in totum, & quidem casu fortuito, res pignori supposita, debitor tamen nihilominus ad censum soluendum est obligatus, vti videbitur inf. *q. 11. conclus. 5.* E. multò magis obligatus manet, si tantùm abijciatur, derelinquatur,

 aut

43. aut creditori offeratur. Nec † obstat argumentum supra pro affirmatiua loco quarto allegatum, quia procedit tantùm creditore volente.

44. Ad † vulgatum illud Resp. multitudo errantium, non facit errori patrocinium, *argto. l. 6. §. 1. ff. Off. præf. Osterm. ad §. 7. v. qui duas inst de Nupt.* hic autem communis laicorum error est, quòd creditoribus pro debito offerant pignora, vel fideiussores, cùm deberent soluere pecuniam, contra *L. item liberatur. §. qui paratus. ff. quib. mod. pig vel hyp. sol.* ex quo deducit Arnol. de Reyger. *in thes. iur. v. creditor. n.* 585. quòd

45. debitor, qui † soluere creditori tenetur, non soluat satisfaciendo, dan-

46. do vel pignora, vel fideiussores, quia † satisfacere minus est, quàm soluere, Gothof. *ad d. l.* dicens. qui paratus est soluere, videtur pignus liberâsse, qui verò non soluere, sed satisfacere paratus est, in diuersa causa est. Infert proinde dictus Reyger, quòd pignoribus non satisfaciat debitor, nec fiat debiti solutio.

47. CONCLVSIO † TERTIA: in censu merè reali potest aliquis per dimissionem rei censualis se liberare à præstatione censuum, atq; hoc in casu verum esse puto, quod Frid. Martini. *c. 8. n.* 228. 233. 235. *in fine.* & Angel, ad *L. etsi fortè, §. etiam. n.* 4. *ff. si seru. vind.* dicit, quòd ad onera realia non teneatur ille, qui rem vult derelinquere. Huc facit argumentum primum pro affirmatiua allatum, præsertim verò Ratio à Labeone adducta, similiter & argumentum sextum. Quod

48. † maximè procedit, si limitate ad ipsum prædium census fuisset venditus, ita vt venditor siue censitus non aliter, nisi ratione rei, & quamdiu rem ipsam possideat, conueniri velit, & de eo ex verbis, vel

49. alijs indicijs manifestò constet. Confer ea † quæ habentur *infra. q. 11. concl. 7.* vbi videbis, quòd per interitum rei censualis à censu merè reali debitor liberetur.

50. Quid † si autem tertius ille possessor fecisset recognitionem census, titulúmque nouum, **newe Sigl vnd Brieff**/ possetné de

51. cætero pro reditibus & pensionibus conueniri? Dicunt † quòd nihilominus possit creditori prædia censualia offerre, per Rationem:

52. quia † recognitio & titulus nouus non plus afficiunt, quoad substantiam obligationis ipsum recognoscentem, quàm antea virtute possessionis tenebatur: & quia non fit omninò inducendæ nouæ dispositionis,

nis, sed ad effectum, vt possit competere jus executionis contra ipsum recognoscentem; ita Couarr. *var. res. l. 3. c. 7. n. 6. V. hinc etiam.* Felician. de Solis *l. 3. de cens. c. 6. n. 7.* vbi limitant; nisi in instrumento recognitionis contrarium expressim ageretur. Sed hæc anxiam dubitationem recipiunt, per ea quæ notaui supra *q. 7. circ. fin.*

An † autem tunc, quando prædium censuale in solutum datur, 53. debitor non tantùm à futuris, sed etiam à præteritis censibus liberetur? Vide Nicol. Boërium *decis.* 309. vbi controuertit, & Clarissimum Dominum Collegam meum Doct. Erasmum Pascha, in thesibus suis de jure annui census, anno 1639. Friburgi Brisgoiæ propositis, vbi *thes.* 35. affirmat, quòd census præteritos soluere teneatur, per Rationem: quia † in materia emphyteuseos, si ob non solutum canonem emphyteuta fundo vectigali priuetur, nihilominus pensio præteriti temporis peti potest, quidni E. census cessi, quamuis rem censualem deserat censitus? 54.

CONCLVSIO † QVARTA: in censu mixto partim reali, partim 55. personali, primus venditor censûs se non potest liberare, per abiectionem rei censualis inuito creditore, per tradita Sichardi *ad L. si quis* 35. *§. 1. n. 7. C. de donat*; atque ita intelligo Tiraquel. *l. 1. de retract. §. 1. gl. 6. n. 10. cum seq.* quem citat & sequitur Nicol. Vigel. *M. I. R. l. 5. c. 12. reg. 5. excerpt. 6. repl. 5.* sed bene † singularis successor: quia quoad 56. hunc census merè realis est, quoad illum etiam personalis. Licet E. per abiectionem vel dimissionem rei se liberet à onere reali, non tamen se liberat ab obligatione personali. Huc facit argumentum. 2. 3. 4. 7. & octauum, quod autem in quinto & sexto habetur, seq. quæstione examinabitur. Facit † etiam id, quod habetur *inf. quæst.* 11. 57. *conclus.* 10. vbi in casu, quo fundus censualis omninò perijt, adhuc tamen debitor census mixti obligatus manere concluditur. Itáque in hoc dissentio à Frid. Martini volente, quòd tunc, quando census ex prædio venditur, debitor per derelictionem prædij liberetur. Innititur † autem sine dubio illi suo principio & fundamento. *eod. c. 8. n. 196.* 58. tradito, quòd ista hominis obligatio, qua venditor census realis ad annuam præstionem est obstrictus, non sit principalis, sed accessoria, & consequens jus census, ita vt res ipsa, ex qua census venditur, prin-

cipaliter, persona verò, quæ censum vendidit, secundario ad annuas præstationes sit obligata, non simpliciter & absolutè, sed donec, quamdiu & quatenus rem, ex qua census est venditus, possideat.

59. Ego qui † mediam sententiam fui amplexus, videlicet, quòd in casu, quo quis censum vendit ex agro, vel domo sua, debitor & fundus æquè principaliter sit obligatus, judico personam per rei censualis dimissionem, se liberare non posse.
60. Nam † si alienando in tertium se non potest liberare, vt in quæstione septima dixi, quomodo
61. dimittendo ipsi creditori. Ad † sextum in *L. filiusfamilias.* 114. §. 4. *ff. de leg.* 1. loco secundi argumenti allatum Resp: meritò permittendum esse legatario, vt se liberare possit, per abdicationem fundi, ex quo grauatus erat annuum fideicommissum præstare, ob id, quòd tantos fructus non ferret. Per Rationem ibid. allatam, quia absurdum est, eum de suo præstare. ad idem est tex: *in l. nomen.* 34. §. 2. *inf. ff. de leg.* 3.
62. quia nulli † plus oneris imponi potest, quàm honorifici lucri tributũ sit, *l.* 1. §. *si is,* 17. *ff. ad Trebell. l. ab eo.* 9. *C. de fideicommiss.*

63. Ad † tex: *in L. si absente* 48. *in pr. ff. de vsuf. & in l.* 64. *ff. eod.* Resp: licet is, cuius negotia gesta sunt, teneatur ex quasi contractu, & sic actione personali: tamen si vsufructuarius vult derelinquere vsumfructum, meritò non est cogendus domum reficere, vel reficienti
64. impensas præstare. Ratio: † quia impensæ ad eum spectant, qui re vtitur, siue qui habet vtilitatem ex re, *VVesenb. in parat. n.* 11. *ff. commodati.* E. si vsufructuarius vult vti frui, meritò ad vsufructuarium spectant, *L. vsufructu.* 7. §. 2. *ff. de vsuf. L. si pendentes.* 27. §. 3. *ff. eod. l. eum ad quem.*
65. 7. *C. eod.* A † contrario. E. si vult rem ipsam cum vsufructu derelinquere, non tenetur amplius impensas præstare, quia tunc non ipsius, sed proprietarij negotia fuerunt gesta.

66. Ad † quintum Resp. textum. *d. l.* 35. §. 1. *C. de donat:* habere omnium Dd: judicio casum singularem, & pugnantem cum alijs regulis, Sichard. *ibid. n.* 1. qui *n.* 2. verum esse dicit, quòd in generali promissione annui reditus, facta ex possessionibus vel agris suis, teneatur donatarius recipere portionem agrorum, & è diuerso cogatur etiam donator, tradere pro illo annuo reditu certam partem agrorum: idque
67. singulariter constitutum. Ratio † specialitatis assignatur à glossa,

v. fun

§. fundos tradere in pr. quòd hoc operetur fauor donantis, & liberalitas exercentis, ne obſit ei ſua liberalitas, & ne teneatur habere curam & diligentiam prædiorum, ſed vt dimittantur donatario ad inſtar fructuarij, & alimentarij.

Ad ſeptimum † argumentum in contrarium allatum reſponderi poteſt, fauorem venditoris, ſiue debitoris in hoc conſiſtere, vt eò faciliùs propter hypothecam, ſiue obligationem bonorum ſuorum poſſit inuenire emptorem censûs, *vide Caniſ. c. 11. de vſur. & cenſ. fol. 162.* quemadmodum *in §. fin. inſt. quib. mod. re contrah. obl.* dicitur: quòd pignus vtriuſque gratiâ detur, & debitoris, quò magis ei pecunia credatur, & creditoris, quô magis ei in tuto ſit creditum. 68.

Ego † puto aliter poſſe reſponderi & dici, verba illa: *in illorum vendentium fauorem* referenda eſſe non ad antecedentia, vbi agitur de constitutione ſuper domibus, terris, agris, prædijs, poſſeſſionibus, ſed ad ſubſequentia, videlicet ad pactum, &c. vt ſi venditores reſtituerent in totum, vel in partem pecuniam, à ſolutione redituum, vel cenſuum liberi ſint & immunes; hoc enim pactum adiectum, non prædia ſuppoſita fauorem debitoris concernunt. 69.

Hæc † autem, quæ dicta ſunt, quòd debitor per oblationem prædiorum cenſualium non poſſit ſe liberare à præſtatione cenſuum, præterquam in merè & purè reali cenſu. 70.

Limitantur primò, vt vera ſint, quando creditor eſt inuitus, ſecus verò ſi volens, *Sichard. ad L. ſi quis. 35. §. 1. n. 7. C. de donat.* Ratio: † 71.
quia non eſt nouum, vt aliud pro alio volenti ſaltem creditori ſoluatur, & vt aliud pro alio voluntate creditoris poſſit conſtitui, *L. 1. §. ac poteſt. 3. ff. de conſt. pec. VVeſenb. ibid. n. 9.* Hoc tamen † declaratur, 72.
vt ſi creditor, ſiue emptor cenſus, contentus eſſet accipere in ſolutum prædia, & peteret ſibi aſſignari, quantum juſtum & æquum eſt, tunc non eſſet ſatis, vt agri aſſignandi ſingulis annis tot fructus ferre poſſent, quot redituum nomine conſtituti ſunt: ſed requiritur, vt tot ferant deductis expenſis, *gl. ad l. 35. §. fundos tradere. Sichard. ad D. L. ſi quis 35. §. 1. n. 4.* vbi Rationē reddit: quia † fructus non intelliguntur, 73.
niſi deductis expenſis, quæ quærendorū, colligendorū, conſeruandorumq; eorum gratiâ factæ ſunt, *L. ſi à Domino. 36. §. f. de pet. hæred. L. fructus. 7. ff. ſolut. matr. in pr. l. 1. C. de fruct. & lit. expenſ.* Limi-

74. Limitantur † secundò tunc procedere, quando censitus adhuc soluendo esse reperitur, secus verò si debitor nihil aliud habeat, quod soluat, v. g. neque pecuniam, neque mobilem substantiam, tunc enim
75. beneficio Iustiniani Imp. potest prædia † etiam non censualia cuilibet alij creditori in solutum dare, *arg. Auth. hoc ita. C. de solut. Nou. 4. c. 3.* vide quæ ad longum scripsi in patrocinio debitorum *calam. belli de-*
76. *paup. p. 2. q. 10. per tot. præsertim. n. 31. & seqq.* potest tamen creditor † secundùm aliquorum opinionem petere, vt prius venum exponantur, *vide notata loc. cit. quæst 9. decad. 2. n. 39. & seqq & q. 10. n. 98.* & subhastentur, *Daumhaud. de subhastat. c. 3. n. 34. & seqq.*
77. Sed qualia † prædia emptor annui census teneretur recipere, an optima, vel mediocria? Secundùm ea quæ notaui in patrocinio *decad. 2. q. 10. n. 121.* creditor potest vnum pro alio, & melius pro deteriore eligere.
78. Nihilominus † licet debitor cogatur in solutum dare meliora prædia: tamen donator annui reditus non tenetur dare optimos, neque pessimos, sed mediocres agros, *L. si quis 35. §. 1. C. de*
79. *donat.* quemadmodum † in simili, si essent in genere promissi serui, nec optimi, nec pessimi, vt fures, nebulones, vel fugitiui, sed mediocres soluendi, Sichard. *ad D. L. n. 2. inf* ad quod adducit etiam *L. Legato generaliter. 37. ff. de leg. 1.* vbi legato generaliter relicto, veluti hominis, Gaius Cassius, & post eum Vlpianus scripsit, id esse obseruandū, ne optimus vel pessimus accipiatur.
80. Ratio † cur non vilissimus, *quemadmodum in L. nummis ff. de leg 3. L. cum certum ff. de Tritico, Vino, & oleo legat.* est ista: quia quando genus legatum habet eiusmodi species, vt nonnullas expediret non habere, tunc veniunt mediocres, non vilissimæ, quia aliàs nihil esset datum: si autem omnes vtiles sint, alia tamen vtilior (vt in nummis & frumento, vbi expedit qualecunque habere) tunc potest solui vilissimum, *post Bart. in L. cum certum. §. f & l. inter stipulantem §. sacram ff. de V. O. Sichard. ad L. 35. §. 1. n. f. C. de donat.*

QVÆ-

QVÆSTIO X.

An creditor, siue emptor censûs, possit loco annuarum pensionum & censuum petere prædia, & tam ipsum venditorem, quàm tertium possessorem cogere, vt dimittat rem censualem.

PRo † affirmatiua videtur facere textus *in L. si quis 35. §. 1. C. de donat.* vbi habetur: si quis reditum certum ex possessionibus donauerit, non tamen nomina possessionum edixerit, quòd tunc necesse habeat de sua substantia fundos tradere, tantum reditum inferre valentes, quantum in donatione posuerit; & quidem nec optimos, nec pessimos (fortassis argillosos aut vliginosos) sed qui statûs mediocris inueniuntur: (si autem nominauit certum fundum, ex quo dare promisit, tunc illum, vel ex illo dare, vt supplet Salicetus *ibid*) si E. hoc in donatore censûs, quantò magis in venditore, quia ille ex mera liberalitate & gratis, hic pretio accepto reditum constituit. 1.

Facit † secundò: quòd tunc quando reditus donatur ex prædijs, prædia assignentur quodammodò loco pignoris, *gl. ad l. si quis. 35. §. 1. V. fundos tradere. C de donat. argu. L. Lucius. ff. de alim. leg.* atqui creditor bene potest persequi suum pignus, & illud à possessore auocare. 2.

Tertiò: † contrahentium debet esse æqualis conditio, *L. quicunq. C. de fund. pat. Nou. 64. c. 1. inf.* sicut. E censitus potest censitori fundum censualem dimittere, vti superiori quæstione dictum, ita quoq; debebit censitor, siue creditor fundum posse petere. 3.

Pro † Negatiua facit: quòd is, qui promittit annuum quiddam, sit tantùm obligatus personaliter, quæ obligatio personalis personam non excedit, nec potest conuerti in realem obligationem, *argu. L. f. §. f. ff de contrah. empt.* sed hic est personalis obligatio, personæ inhærens obligatæ, E. non potest agi ad rem, id est, da mihi agros pro reditu, ita Sichard. *ad L. si quis. 35. §. 10. n. 7. C. de donat.* Vbi respondet, 4.

id

5. id quidem † verum esse, si promittatur in genere aliqua quantitas, vt si dico: dabo tibi decem modios annuos, tunc enim verè personalis est obligatio, quæ in realem non commutatur: sed aliud esse, quando promitto annuum reditum ex meis possessionibus. Nam tunc illa obligatio non est merè personalis, sed volente creditore potest conuerti in realem, id est, solui res pro ipso reditu.

6. In † effectu ergò quoad nostrum propositum distinguit, vtrùm census sit merè personalis, an verò realis, vt nimirũ in personali nihil præter censum & pensiones: in reali res ipsa censui subiecta solui pos-
7. sit. Sed quia † longè aliud est soluere posse rem pro pecuniaria præstatione volente creditore, & aliud petere posse ab inuito debitore prædia pro pecunia, ideo Sichard⁹ præsentẽ quæstionẽ nõ omninò soluit.

8. Ego † puto, bene attendendum esse, quando, quomodo, & qua ratione petat creditor, siue censitor, bona debitoris censiti: An statim ab initio, antequàm debitor sit in mora, an verò post moram in soluendis censibus commissam. Deinde si debitor morosus fuit, & negligens in præstandis censibus, videndum, vtrùm petere velit creditor bona, tanquam commissa, in pœnam quodammodò negligentiæ, & moræ, an verò petat sibi ea adiudicari eatenùs tantùm, vt detineat pro securitate censuum, an deniq; tanquam quilibet alius creditor desideret tantùm immissionem ex primo, vel secundo decreto: quo in casu attendendum, vtrùm creditor pactum paratæ executionis fecerit, nec ne? item an debitor infortunio bellico tactus, vel alio simili fatali casu non soluendo factus fuerit, an verò suâ culpâ. Pro varietate istarum circumstantiarum, variæ conclusiones ponendæ.

9. CONCLVSIO † PRIMA: Si creditor solitus percipere pensionem annuam siue censum, mutatâ voluntate non censum pecuniarium, vel frumentarium, sed rem ipsam, super qua census constitutus est, desideret, minimè audiendus est, *Iac. Venent. de ann. præst. p. 2. q. 33. n. 3.*

10. Ratio † est: quia ad nihil potest directò & principaliter agere, quàm ad id, quod in obligationem fuit deductum: atqui non res censualis, sed census in obligationem deductus fuit, E. &c. minor probatur per
11. inductionem. Vel enim † loquimur de censu personali, vel de eo, qui
12. hypothecâ subnixus, vel de reali, vel de mixto. In † personali res nulla ha-

Iam habet difficultatem: quia in eo persona se obligauit ad præstandos census absq; vlla bonorũ assignatione, & sic procedit ratio Sichardi.

In censu † hypothecâ subnixo fuerunt quidem bona in subsidium assignata, vt in euentum, quo debitor non satisfaceret, creditor ratione censuum securus esset: in hac autem conclusione supponitur, quòd casus ille nondum euenerit, debitor nondum in mora fuerit, E. nondum hypothecariâ agi potest; regulariter † enim illa non datur, nisi quando reus post terminum solutionis elapsum, semel atq; iterum admonitus noluit soluere debitum, *argr. l. si fundus. 16. §. 3. ibi. si possideat, & pecuniam soluat absoluendus est. ff de pignor.* Oldend. *in class. forens. act. class 3 act. 10. in pract. in posit act. 6. & 7.* 13. 14.

In † censu mixto persona & res est quidem æqualiter obligata, non tamen proinde sequitur, quòd ad rem ipsam auocandam statim agi, & eam creditor ad se recipere posit, alioquin enim non apparet, cur non similiter manus ipsi personæ inijcere, eiq; dicere liceat: non censum vel pecuniam tuam volo, sed te ipsum, vel tuam industriam, præsertim supposita illorum sententiâ, qui putant in censu personali etiam jus reale in ipsa persona debitoris censiti constitui, eò quòd emptor jus fructûs & lucri personæ, & jus suorum laborum diuendat, vid. Frid. Martini. *c. Vlt. n. 49. & c. 4. n. 36. & 37.* vbi † fatetur indignum esse, vt aliquis ob debitum pecuniarium in seruitutem rapiatur, aut in pignus accipiatur debitor. Vide † quæ scripsi in patrocinio debitorum *dec. 1. q 8. n. 43. & 44.* vbi notaui: non apparere, quomodò pro pecunia possint peti operæ, cùm hoc valde sit extraneum & diuersum ab obligatioue contracta, vt ait Bald. *ad L. ob as C. de O. & A.* Pekius *de iur. sist. c. 4. num 1* & non possit actor non plus petere, cùm detentio personæ ad operas vtique plus inuoluat, & maiorem iniuriam habeat, quàm exactio pecuniæ, per notata Coleri *de process. execut. p. 1. c. 6. n. 134.* 15. 16. 17.

Deinde † etiam in superiori quæstione dictum fuit, quòd in censu mixto debitor non possit rem ipsam loco censuum offerre. E. non licebit (& quidem multò minus) actori rem ipsam petere, tum † quia fauorabiliores sunt rei, quàm actores, *L. fauorabiliores 125. ff. de R. I. L. 47. ff. de O. & A.* tum quia non † licet actori, quod reo licitum non 18. 19. 20.

 existit,

existit, *c. non licet 32. de R. I. in 6. c. 2. ext. de mut. pet. L. qua omnia 25. ff. de procuratoribus, L. non debet. 41. ff. de R. I.* & sicut † debitor aliud pro
21. alio (rem censualem v. g pro censu) inuito creditori soluere non potest, *l. 2. §. mutui datio ff. de reb. cred.* ita aliud pro alio ab inuito de-
22. bitore exigi non potest, quia † contrahentium par & æqualis debet esse conditio, *Nou. 64. c. 1.*

23. Posito † denique, quòd ad vnum vel alterum agere liceret, videlicet vel ad censum, vel ad rem censualem, non tamen posset præcisè rem vindicare, sed deberet libellum & petitionem suam alternatiuè concipere, petendo nimirum, vt censum soluat, vel eo quod detinet, cedat, & creditori dimittat rem affectam onere census, *argu. L. 2. C. si unus ex plurib.* Felician. de Solis *l. 3. de cens. c. 6. n. 2.* nam cùm in alter-
24. natiuis † debitoris sit electio, *L. plerumq; §. Vlt. in fi ff. de iur dot L. si quis seruum 10. C. de condict. indeb. c. in alternatiuis 70 de R I in 6.* creditor
25. † vnum sibi præeligendo pœnam plus petentium incurreret, *§. si quis*
26. *agens 33. inst. de act.* vide Felician. † *loc. cit. n. 1.* vbi ait: legatarium debere fideicommissario, cui aliquid annuum relictum est, illum fundum, cuius causâ oneratus fuit per testatorem, si nolit annuum præstare. E. tacitè indicat, prædium non esse dimittendum, quamdiu legatarius paratus est annuam præstationem soluere.

27. Itáque † difficultas tantùm est ratione censûs merè realis, vtrùm creditor loco censûs petere possit agrum, siue prædium censuale?
28. & videri posset, quòd sic: † quia debitor potest illud creditori in solutum offerre, vt in præcedenti quæstione *conclus. 3.* dictum fuit. E. viciſſim creditor illud petere, vt seruetur æqualitas inter contrahentes.

29. Verùm † ego video istam æqualitatem contrahentium non esse perpetuam. Nam vt supra *eadem quæst. 9. conclus. 9.* dictum fuit, debitor non potest rem hypothecatam creditori inuito obtrudere; & tamen potest creditor in certis casibus ad hypothecam auocandam
30. inuito debitore agere: idque propterea, quia dum † creditor hypothecam petijt, tacitè hoc egit, vt in euentum eam auocare posset.
31. Sed pari ratione se res habet in nostro proposito, dum † enim debitor censum super sola re censuali constituit, tacitè hoc egit, quòd non aliter,

aliter, nisi ratione rei, & quamdiu rem ipsam possideat, conuenire velit: & quàmuis hanc mentem expresse non habuisset, tamen quia natura realium jurium, & census realis hoc habet, videtur ei se in contrahendo conformâsse. Alia † deinde differentiæ ratio est, quòd 32. si creditor prædium censuale petit, plus à debitore petit, quia dominium rei vtique plus est, quàm jus tantùm in re, & solet plerúmque contingere, vt prædia censualia, longè sint maioris pretij, quàm jus annui census, vel pretium pro jure illo expositum: atqui si debitor † census realis prædium censuale offert, non minus offert, nam subie- 33. ctum offerendo offert hoc ipso omnia accidentia, & jura eidem inexistentia: si autem pretium censualis prædij minus esset, quàm pretium census fuerat, sibi creditor imputare debet, cur non magis sibi prouiderit & vigilauerit. Sicut † itaque is, qui seruitutem in aliquo 34. prædio habet, prædium ipsum quoad dominium affectare non potest, & tamen dominus prædij dominantis prædium à se abdicare, & derelinquere, *L. etsi fortè 6. §. etiam 2 ff si seruit. vind.* ita quoque emptor census, quia prædium non emit, sed censum, non prædium, sed censum petere debet: venditor autem census, prædium ipsum bene in solutum offerre potest, & emptori cedere. Ratio differentiæ † est 35. ista: quia qui prædium ipsum habet, is plenum jus habet, omnia percipiendi, quæ percipi possunt. Et hoc ipso habet etiam censum, qui nihil est aliud, nisi jus percipiendi annuam præstationem. Ita vt prædio insit census, & seruitus, (si non formaliter, saltem virtualiter) censui autem non inest prædium. Quemadmodùm † in simili dici- 36. mus, quòd res contineat æstimationem, sed non vicissim æstimatio continet rem ipsam, Wesenb. & Wolf. *ad §. si res 6. inst. de leg.* quæ † 37. causa est, quòd si quis ex vnius testamento pretium rei consecutus fuerit, adhuc ad rem ipsam in alio testamento sibi relictam agere possit: sed si ex vno rem ipsam consecutus fuit, ex alio non possit vice versâ pretium consequi, *§. si res aliena 6. inst. de leg.*

Ex his † itaque apparet, quòd creditor siue emptor census dire- 38. ctò & immediatè, non possit agere ad cessionem rei censualis, quod etiam inde deprehenditur, quia Vlpianus & Labeo ICti, *in L. etsi fortè. 6. §. etiam 2. ff. si seruitus vind.* responderunt: *licere* domino prædij ser-

uientis derelinquere prædium, atq; ita seruitutis præstationem euitare; sic ergo reposuerunt in ipsius arbitrium, & nullá necessitate
39. adstrinxerunt. Quod † enim fieri potest ex voluntate, non est imponendum ex necessitate, *argto L. solent. 6. Ubi Bart. in pr. ff. de offic. proconf. VVesenb. n. 7. C de recept arb Besold in thes. pract. G. Frohndienst/*
40. *§. an ex operarum.* & non † quidquid gratificationis est, idem etiam necessitatis aut coactionis esse intelligitur, *argto L donari. 29. ff. de donat. L. donari. 82. ff. de R. J. Horprecht. n. 74. inst de fideiuss.*
41. Ad textum † in *L. si quis 35. §. 1. C de donat.* Resp: esse quidem aliquos in ista opinione, quòd quemadmodùm donatarius in hoc casu cogitur fundos loco redituum accipere: ita quóque donator cogatur agros pro reditu soluere: tum vt seruetur æqualitas inter contrahentes, *argto. Nou. 64, c. 1. inf* & quæ tradit Mynſ. *cent. 4. obs. 61. n. 11.* tum quia donator certi reditûs intelligitur fundum tanti reditus do-
42. nare velle, Gothof. *ad d. l. si quis. 35. §. 1.* Alij † verò *d. l.* sic explicant, & dicunt, vt coactio quoad donatorem non versetur in eo, vt cogatur fundos tradere, sed in eo, vt si velit dare agros, cogatur mediocres, id
43. est, non pessimos soluere. Quæ † sententia, vt æqua & rationi conueniens, Sichardo placet; quia cùm in fauorem donantis hæc datio in solutum recepta sit, non esset fauor, si donator inuitus cogeretur pro
44. reditu agros tradere, quos fortaſsis mallet retinere. Itaque † melioris conditionis erit donator, quàm donatarius, in hoc; vt possit, si velit, dare agros pro reditu, dummodo mediocres: donatarius cogatur precisè eos recipere, nolit velit. Ita vt necessitas non sit in tradendo, sed in qualitate possessionum, Salicetus *ad d. l. 35. §. 1. n. 1. inf.*
45. Interim † tamen, si creditor vellet agere sub alternatione, petendo, vt debitor debitum censum reddat, vel prædio censuali, quod detinet, cedat, ego ipsum à pœna plus petentium (per infra dicenda) excusarem, præsertim hoc tempore, quo prædia censualia per deuastationem bellicam, & propter emptorum penuriam, ita sunt de pretiata, vt raró pretium ipsorum pretium census attingat.
46. CONCLVSIO † SECVNDA: Si debitor in soluendis censibus sit morosus, & negligens, non potest creditor rem censualem tanquam commissam petere. Idque manifestè deducitur ex Bulla Pij V.

qui

qui loco septimæ conditionis requisiuit, vt non fiat pactum, quo venditor census incidat in vllam pœnam, ob moram solutionis pensionū, v.g. si per biennium vel triennium pensio soluta non fuerit, vt res censui subiecta efficiatur domini census, *Lessius dub. 12. n. 85.* Si † ergo 47.
res censualis peti, & in commissum trahi nequit, quando pactum legis commissoriæ intercessit, *Aluar. Valasc. de iure emphyt. q. 32 n. 12. & n. 25. in f. Felician l. 1. c. 30. n. 31. Lessius l. 2. c. 22 dub. 11 n 68. vide supra q. 2. p. 1. mod. 15.* multò minùs, quando nihil desuper pactum fuit. Licet † 48.
enim in emphyteusi res ita comparata sit, vt tunc, quando emphyteuta per triennium canonem non soluit, ad reuocandā emphyteusin agi possit, & emphyteuta jus suum amittat, *l. 2. C. de iure emphyt. Iul. Clarus. §. emphyteusis. q. 8. in pr. Mynsi. cent. 3. obs. 65 in pr. & cent. 6. obs. 83. n. 1.* in hoc tamen differt † contractus censualis ab emphyteutico, 49.
quòd censitus non possit expelli, etiamsi per mille annos cessauerit à solutione, sed duntaxat possit cōtra eum agi, vt soluat, Nic. Euerhardi *in top. loc. 31. ab emphyt. ad censum. n. 5.* vbi de censu reseruatiuo † qui- 50.
dem loquitur, nihilominus rectè ad consignatiuum siue constitutiuum extenditur: quia in reseruatiuo prædium à creditore ad debitorem profectum, & in eo census reseruatus fuit; in consignatiuo verò dominium ab emptore non descendit, sed apud venditorem census, siue debitorem semper mansit.

CONCLVSIO † TERTIA: Si debitor censitus in pensioni- 51.
bus præstandis sit morosus, tunc censitori datur actio quasi Seruiana seu hypothecaria, quā ad rei pro pensione obligatæ, possessionē acquirendā agit, ad effectum, vt prædium jure pignoris obligatum retineat, donec annua pensio præstetur, aut alienet, si pensiones non præstentur, nec pignus redimatur, *argu. §. item Seruiana, & quæ ibi notant. Dd. inst. de action* Frid. Martini. *c. vlt. n. 104.* Et hoc † modo pro- 52.
cedit Ratio secunda supra in principio adducta. Nam † hypotheca 53.
manet obnoxia solutioni eius census, in euentum, quo persona, quæ censum debet, impotens effecta sit ad census solutionem, *Molina. disp. 383. n. 6.* Ista tamen † actio directò non facit ad acquirendū dominiū 54.
prædij censualis, sed ad id, vt res, quæ actori, eidémq; creditori à reo debitore sit obligata pignori, nec dum tamen tradita, secundùm pos-

sessionem tradatur, tantisper à creditore tenenda, donec solutum fue-
55. rit debitum, Oldend *class.3.act.10.q.5.§.petendum.* Vide † Frid.Martini.
d.c.Vlt.n.36. vbi tradit: quod si censitor nullam vnquam pensionem
acceperit, quòd possit præterea ex Saluiano interdicto prædij censua-
lis oppignorati, eiusq; fructuum possessionem adipisci, ad effectum,
vt fructus prædij censualis retineat, donec de pensionibus satisfactum
fuerit. De quo tamen, cum Menochio *remed. 3. adip. poss. n. 17. cum seqq.*
non disputo.

56. Restringit † tamen ea, quæ in hac conclusione dicta fuerunt, Fe-
lician de Solis *l.3.c.6.n.2.* vt dominus census non possit agere abso-
lutè, & simpliciter aduersus tertium possessorem, vt recognoscat
(*vel soluat*) censum, sed alternatiuè, vt vel soluat, vel creditori dimit-
tat rem affectam onere census, *per tradita Iaf. Zasii, Mynf. ad §. item Ser-
uiana inst. de act.*

57. Conclusio † Quarta: Si emptor census vel censitor
per viam immissionis bona censualia affectet, tunc quemadmodùm
quilibet alius creditor, ita quóque censitor siue emptor census, debi-
tore in mora soluendi existente, ob censum non solutum petere po-
test se immitti in possessionem rei censualis, & aliorum bonorum
censuarij, Felician. de Solis. *lib.1.c.10. de cens. n.19. inf.* & hoc quo-
tidie contingit. Vide quæ scripsi in patrocinio debitorum *calam. belli*
58. *depauperatorum, dec. 1. q. 9. n. 32. & seqq.* vbi † notaui, quòd sicut de-
bitor in eo casu, quando aliud non habet, potest pro pecunia præstare
prædia, *auth. hoc nisi C. de solut.* ita quóque creditor in euentum, & in
defectum rei debitæ, aliud possit postulare, videlicet, vt vendantur
res debitoris immobiles, & pecunia debita, ex pretio rei venditæ ipsi
soluatur, vel res & prædia ipsi addicantur, *d. patrocinio, dec. 1. q. 9. n. 31.*
59. *& seqq. per Nou. 4.* Vide præterea Felician. † *loc. cit.* vbi dicit: quòd ju-
dex à se latâ sententiâ possit præcipere, vt distractis bonis debitoris
ad censum persoluendum creditori satisfiat ex eorum pretio. Quod
60. tamen † cum hac restrictione intelligendum est, vt ob moram in sol-
uendo commissam debitoris bona nequeant adiudicari creditori, nisi
pro ea parte tantùm, quæ verè tangit creditoris interesse, propter non
solutum censum, Felician. de Solis *loc. cit.* vbi post Nauarr. docet,
non

non posse, quod excedit, in conscientia retineri, & iniustissimum esse, vt creditori adiudicentur bona longè maioris pretij pro reditibus decursis, eáque securè creditor possideat, ijsque fruatur. Vide † à me 61.
notata *dec. 2. patrocinij. q. 9. n. 45.* vbi dixi, prædia in solutum debere dari pro crediti modo, ita vt si pretium transcendat, debitor habeat repetitionem. Et in hoc differre adiudicationem ex capite *Non. 4. & L. à diuo Pio. 15. §. 3. de re iud.* inspice etiam Felician. *loc. cit. n. 20.* vbi tradit: † curare debere judices, vt bonorum, quæ in causam executionis capta sunt, æstimatio fiat à viris peritis, & tantundem creditori adiudicetur, in quantum sorti & censibus æquiualet. 62.

Quid † si autem vsus & praxis velit, vt creditor mittatur in possessionem bonorum omnium debitoris, vel eorum, quorum pretium sortem, & census longè excedit? Ad hoc † Resp. Felician. *d. num. 20.* hanc praxin in judicio animæ parùm securam esse, & cauere debere miseros creditores, aliorum bona sitientes, aliorum facultatibus inhiantes, ne dum student debitorum suorum occupare bona ampliora, quàm sors & reditus valeant, in infernum præcipites ruant. 63. 64.

Addunt † etiam aliqui hanc restrictionem, vt creditor non præcisè possit petere prædiũ, sed inprimis suum creditum, & si pecuniã debitor non habeat, vt bona ipsius vendantur, & distrahantur, atque pecuniâ inde redactâ soluatur, vel in subsidium sibi addicantur: sic scribit præfatus Felician. *loc. cit. n. 19.* lege † & statuto effici posse, vt ob moram in soluendo censu commissam debitoris bona distrahantur, & ex eorum pretio & valore creditori sors cum censibus decursis integrè restituatur, & testatur Nauarrus ab eodem allegatus in regno Nauarræ fuisse lege sancitum, vt non soluente debitore vendi, & publica subhastatione addici possint bona censui subiecta, vt ex eorum pretio soluatur sors cum censibus, & quod superest, ipsi debitori reddatur. Rationem † huius præuiæ venditionis & subhastationis assignaui. *d. dec. 2. q. 9. n. 26. & 44.* quia creditoris actio tendit ad ipsam pecuniam, & prædia debentur tantùm in subsidium, E. quamdiu spes est pecuniæ ex venditione redigendæ, tamdiu addictio in solutum locum non habet. 65. 66. 67.

Verùm † quod de sorte Felicianus dicit, ego non simpliciter pro- 68.

bo,

bo, sed puto, videndum, vtrùm census sit redimibilis, & an renuntia-
69. tio die Auffkündigung facta fuerit, nec ne. Nam si census esset † irredimibilis, sufficeret meo judicio adiudicare bona census decursos exæquantia, præstitâ cautione de soluendis in futurum.

70. CONCLVSIO † QVINTA: Si emptor census, siue censitor habeat instrumentum guarendigiatum, tunc debitore moram in pensione soluenda faciente, potest ipse creditor illud judici offerre, & implorato eius officio in prædium cẽsuale paratam executionem petere, atq; judex absque judicij solennitate bonis censualibus sub hasta venditis instrumentum exequi, vel bona specialiter annuæ præstationis solutioni subiecta creditori pro censibus & expensis factis adiudicare, post Couarr. *l. 1. var. res. c. 11.* & Colerum *de process. execut. p. 1 c. 9.* Frid.
71. Martini. *c. vlt. n. 22. & 23.* Felician. de Solis *loc. cit. n 19.* Et hoc † remedium testatur Frid. Martini esse in istis partibus valde vsitatum.

72. CONCLVSIO † SEXTA: Si inter emptorem & venditorem cẽsûs pactum sit factum, quod si venditor in pensione soluenda fuerit morosus, wann er zwen/ drey/ oder mehr Zinß aufflchwellen/ vnd zusamen kommen lasse/ vt tunc emptor prædium censuale propriâ authoritate ingredi, occupare, tenere, fructus percipere, & distrahere queat; tunc creditor vi pacti jure suo vti, & prædium censuale propriâ authoritate inuadere, fructus colligere, percipere, atq; cum pen-
73. sionibus compensare potest, ita Frid Martini, *c vlt. n 4.* vbi † monet ciuiliùs & vrbaniùs facturum, si judicis authoritate possessionem ingrediatur, *per l. 3. C. de pignor.* Facit autem pro conclusione nostra &
74. pro pacto, quod vocamus † manus iniectionis, *tex. in l si quis. 56. ff. de contrah. empt. L qui ratiarie ibi sed si debitor. ff. de pignor. act. l. 1. C. si in causa,*
75. *ind, &c.* Vide † de hoc pacto pleniùs Petrum Frid. Mindanum *l. 2. de mandatis. c. 71. n. 2.* vbi variè distinguit.

76. In his † tamen omnibus adiudicationibus & executionibus, salua sunt debitoribus calamitate belli depauperatis, ea beneficia, de quibus ad longum egi in patrocinio debitorum, per omnes quatuor decades, ad quas lectorem breuitatis causâ remissum volo.

77. Quid si † autem prædia censualia creditori adiudicentur, annè quoad proprietatem & dominium ei acquirentur? In praxi ferme ita serua-

seruatur. Sed jure inspecto videri posset, quòd non, quia Imp. *in L. si quis.* 35. §. 1. *Cod. de donat.* vult fundos tradi, hoc est, vt Gl. & Sichardus explicant, dimitti donatori (de illo enim ibi loquuntur) ad instar fructuarij & alimentarij, ita vt faciat coli, & fructus percipiat tot, quot sufficiunt singulis annis ad reditum, deductâ omni expensâ. Sed † Salicetus *ibid. n.* 1. obijcit, quòd de significato 78.
verborum non videatur fructuarius, neque alimentarius, ideo possessiones videntur deberi, vt suæ fiant, sicut de militia annui reditus empta, *L. omni modo* 30. §. *imputari.* 2. *C. de inoff. testam.* Ego † me in isto 79.
textu non multùm fundo, interim tamen eo attento, videtur quandóque dominium, quandóque possessio tantùm transferri posse, atq; vtrumque hunc sensum pati verbum *tradere.* Etsi enim regulariter † non significet proprietatem dare, sed possessionem transferre, 80.
L. si non traditam, ff. pro legato. nihilominus legitur etiam Imp. *in L. traditionibus, Vbi Dd. C. de pactis.* aliquando impropriè vsus fuisse hoc vocabulo, nempe pro datione, sicuti vicissim verbo dare pro traditione, *L. si vt certo § nunc videndum*, Spiegel *in lex. V. tradere. & V. traditionis.*

Sed † abstrahendo ab hoc textu, & ad nostram materiam propiùs accedendo, Respondeti potest, secundùm varietatem conclusionum antea factarum. 81.

Si † census fuerit tantùm hypothecâ subnixus, & res hypothecatæ creditori secundùm conclusionem tertiam adiudicatæ, regulariter 82.
loquendo dominium earum non acquirit. Nec enim † actio hypothecaria ad hoc datur vt agens dominiũ rei pignoratæ consequatur, 83.
per L. si fundus. V. creditor, ff. de pignor. sed tantùm ad auocandam possessionem, à possidente rem hypothecatam, vt creditor eam teneat, donec de credito integre ei fuerit satisfactũ, Schneidevv *§. item Seruiana n.* 89. *inst. de act.* Si † tamen creditor possessionem fuerit 84.
consecutus, & debitor semel atque iterum interpellatus, vt soluat, nondum tamen satisfaciat, sed nihilominus frustretur & solutionem extrahat, tunc sicuti quilibet alius creditor pignus potest vendere, & sibi de pretio satisfacere, *VVesenb. in parat. n.* 1. *ff. de distract. pig.* ita etiam potest emptor census, si debitor nolit soluere pensiones, vendere hypothecam, vt ex ea solutio petatur, *Lessius l.* 2. *c.* 22. *n.* 36. *Vbi id*

tradit in hypotheca super censu reali assumpta, quòd tunc (re censui subiectâ permanente salvâ) hypotheca vendi possit, quo ipso tacitè indicat, remeesualem vendi non posse. Quod † præterea aliquis dominium acquirat
85. per cessionem pignoris in solutum, id colligi potest *ex L. cum dominum 13. C. de pig.* ibi: tibi jure dominij possidere permisisse, & in solutum dedisse, vbi Gothof. notat, quòd creditor pignus jure dominij
86. possidere possit. Similiter † etiam quando peculiariter ei pignus addicitur. *L. si pignora 3. ff de re iud.* & creditor non tantùm in possessionem *per L. 3. C. de execut. rei iud.* sed in dominium mittitur, *L. vri inf. C. si in causa rei iud. pig.* ita vt jure dominij possideat, *L. 2. §. vlt. C. de iure dominij impet.* Gothof. *add. l. 3.* Non enim dubium est,
87. quin † aliquis concurrentibus certis requisitis jus dominij in pignore impetrare possit, *L. fin. C. de iure dominij impet.*

88. Si fiat † adiudicatio ex primo vel secundo decreto, quem tunc operetur effectum, an creditor jus seruandæ vel custodiendæ rei, jus pignoris, possessionem, vel jus dominij acquirat? vide apud Ioann. Emericum à Rosbach. *tit. 31. & 32. praxi ciuilis, de primo & secundo decreto,* & apud Wesenb. *n. 6. ff. de damno infecto.*

89. Si fiat † adiudicatio ex capite *Nou. 4. c. 3.* tunc fortassis distingui potest, inter census redimibiles & irredimibiles, ita vt in priori casu dari debeant prædia in solutum quoad proprietatem, in posteriori tantùm dimitti ad vsum. Ratio † huius distinctionis est; quia satis-
90. facere est desiderium actoris explere, *l. 1. in princ. ff qui satisdare coguntur. Mynf. §. superest. inst. de perp. & temp. act. VVesenb. n. 2 ff. d. t.* atqui desiderium illius, cui census redimibiles debentur, non expletur per
91. dimissionem ad fructum & reditus percipiendos. Ratio † rationis: quia is non tantùm ad fructus & reditus agere, sed sortem ipsam repetere potest, E. tale quid consequi debet, vt ex venditione illius sortem ipsam simul & semel percipiat. Sed quia hæc incidens quæstio plures subtiles distinctiones & subdistinctiones recipit, eius pleniorem discussionem in alium locum reijcio, atq; eam interim lectori considerandam relinquo.

QVÆ-

QVÆSTIO XI.

Vtrùm prædio censuali perempto extinguatur ius censûs?

Siue

Vtrùm ad census soluendos obligati sint illi, quorum bona superioribus annis fuerunt calamitate belli prorsus subuersa, extincta, destructa?

HVc vsque declaraui, qualis obligatio ex emptione censuum nascatur, contra quos actio, quando, & ad quid rectè instituatur; nunc etiam indicabo, quomodo ea obligatio vel nasci impediatur, vel nata iterum dissoluatur & extinguatur.

In quæstionem † autem hoc loco venit illud: quòd si princeps ex pago vel oppido in cineres redacto, nobilis ex castro vel arce sua solo æquata; ciuis *ex* vel *de* domo sua nunc conflagrata: ex horto suo in totum deuastato: ex sylua cædua omninò succissa: vel ex alijs prædijs in propugnacula conuersis, in aggeres & fossas mutatis censum annuum promisisset, ab eius solutione & præstatione liberandus esset? 1.

Videri † posset, quòd non, & quòd extincto prædio censuali non extingueretur jus census, idque propterea: quia quando annuus reditus titulo emptionis & venditionis, v.g. constituitur, super re vel fundo, qui non est ementis; sed vendentis, & reditum constituentis, tunc obligatio ad solutionem annui census præcipua est personalis, fundus autem, vel res ipsa super qua census constituitur, accessoriè tantùm, pro maiori securitate apponitur, & hypothecæ tantummodò loco obligatur, *Canis. de Vsuris & censib. c. 10. n. 8. in solut. 2. 3. arg. Couarruu. Var. res. l. 3. c. 7. n. 5. §. quartò. Andreas Gail. 2. obs. 7. n. 13.* quemadmodùm † igitur hypothecâ extinctâ non tollitur obligatio, vel debitũ, *l. seruo. C. de pignor. L. pignus. C. de pignor. act.* sed adhuc saluum manet, & debitor adhuc tenetur æs alienum, & debitum suum soluere, 2. 3.

L. creditor. 28. ff. si cert. pet. L. aduersus. 10. C. de O. & A. L. quamuis. 8. ꝛ de pignor. ita quoque re censuali extinctâ vel peremptâ adhuc maneat obligatio personalis ad annui reditus solutionem, *argt. l. f. §. f. ff. de contrah. empt.* Ita † argumentantur illi, qui putant rem censui subie-
4. ctam nihil aliud esse, quàm hypothecam, de quibus sup. *quæst.* 4. egi;
5. quòd autem † obligatio non realis, sed personalis sit, eá ratione volunt, quòd persona vendens censum quotannis dare facere teneatur, hoc est, annuas præstationes soluere, quódq; emptor censûs fructus prædij per se percipere nequeat: *vide Frid. Martini. c. 4. n. 58.*

6. Secundò † deducunt argumentum ex *cap. 1. & 2. in extrauag.* Nam Martinus V. Pontifex in constitutione sua hanc decisionem fe-
,, cit: quòd ad hoc, vt venditores ab ipsius censûs solutione se peni-
,, tus liberent, etiam per refusionem pretij accepti inuiti, *(ergóne saltem volentes & paciscentes?)* nequaquam per emptores arctari, vel
,, adstringi valerent, etiam ipsis possessionibus & bonis obligatis pe-
,, nitus interemptis seu destructis.

7. ,, Similiter † Calixtus III. Pontifex, quòd ijdem ementes, etiamsi
,, bona, domus, terræ, possessiones & hæreditates *(ergóne hæreditas & res incorporalis censui subijci potest?)* huiusmodi processu temporis ad
,, omnimodæ destructionis siue desolationis reduceretur opprobriũ,
,, ipsam etiam sortem agendo repetere non valerent.

8. Ex quibus † deducit Couarr. *var. resol. l. 3. cap. 7. n. 5. §. primum,* quòd salua maneat obligatio ad annuum reditum, licet non possint
9. cogi venditores ad solutionem sortis & pretij. Rationem † pro se habet talem: Nam si peremptis bonis & rebus foret etiam perempta obligatio soluendi annuum reditum, hoc expresse Pontifices explicuissent, sicuti de obligatione reddendi sortẽ in specie responderunt.

10. Deinde † eo ipso, quòd censûs venditor ad reddendum pretium cogi nequeat, siue exstent, siue perempta sint prædia censualia, colligitur, quòd vtróq; casu eadem sit venditoris obligatio, aliàs vtrumq; casum eâdem decisione malè definiuissent Pontifices, *vide Frid. Martini. c. 4. n. 43. & c. 8. n. 184.*

11. Tertiò † argumentantur ita: quod in fauorem alicujus introductum est, non debet in ejus odium retorqueri, *L. quod fauore. 6. de LL. & com-*

& Constituit: Prine. c. quod ob gratiam. 61. de R. I. in 6. argto. L. non eo minùs. 14. C. de procurator. argto. L. si index. 41. ff de minor. atqui † hæc bonorum censualium assignatio & appositio potius in vtilitatē redituum ementis, quàm in commodum debitoris, qui reditum vendit, & constituit, introducitur, Couarr. Var. resol. l. 3. c. 7. n. 6. §. constat igitur. E. non debet in eius dispendium ita explicari, vt prædijs extinctis extinguatur jus census. 12.

Verùm † hæc argumenta tanti ponderis non sunt, vt credere me faciant, prædijs censualibus peremptis semper & indistinctè jus census saluum manere. Vt igitur † meam sententiam dicam, distinguendum existimo, & videndum primò: Vtrùm prædia ista, vel res aliæ censuales culpâ debitoris perierint, an verò casu. Si casu, vtrùm super eo inter contrahentes aliquid pactum & conuentum fuerit, necne? si nihil, vtrùm census sit merè personalis, vel hypothecâ subnixus, vel merè realis, vel mixtus. Si merè realis, vtrùm perierit pro parte, an verò in totum? Pro varietate istarum circumstantiarum varias conclusiones ponam. 13. 14.

Conclusio † Prima: Si res censui subiecta pereat culpâ vel dolo venditoris censiti, tunc ab obligatione censuum non liberatur, Frid. Martini. c. 8. n. 121. Layman. c. 18. de pact. & contract. n. 4. V. absque culpa. argt. est L. si eo loco. 9. §. 1. ff. si seruitus vind. Lessius l. 2. c. 22. dub. 12. n. 91. Ratio † quoad dolum est; quia dolus nemini debet patrocinari, vel prodesse, L. 1. §. 1. ff de doli except. c. 15. ext de rescrip. L. ita 31. in princ. ibi: ne quis doli sui præmium ferat ff. de recept. L. Verum est. 63. §. hoc quoque. ibi: nec enim æquum est, dolum suum quemquam releuare, ff. pro socio. Ratio † rationis: quia dolus est delictum, L. item exigit 36 ff. de dolo L. 3. Vbi gl. V. crimine. ff. de Fideiuss. tut. nemo † autem ex suo delicto liberationem & prœmium reportare, L. relegatorum. 7. §. fin. ff de interdict. & releg. l. 10. §. 1. ff Solut. Matrimon. vel conditionem suam meliorem facere, L. non fraudantur §. 3. ff. de R. I. L. Vlt. C. de reb. cred. L. si duos. in princ. ff. si quis caut. L. si actoris. 2. ff. de eo per quem factum sit. sed † dolus ei tantùm nocere debet, qui eum admisit, L. is qui à debitore 9. ff. quæ in fraud. credit. Ratio † quo ad culpam assignatur à Frid. Martini n. 122. d. c. 8. talis, quòd quiuis culpâ damnū 15. 16. 17. 18. 19. 20.

21. dans, ad eius restitutionem teneatur, *c. f. ext. de iniur.* ex † quo infert: quòd eo casu aut super re alia censum constituere, aut ad interesse teneatur, *arg. l. repetiff. quib. mod. vsusf. amitt.* aut pretium census reddere, *Lessius d. dub. 12. n. 91.* Ratio: quia jus census est quo-
22.
23. dammodo jus seruitutis, *per tradita supra quæst. 3. p. 1.* sicut ergò † dominus prædij seruientis in præjudicium eius, qui seruitutem habet, prædium mutare aut deterius reddere nequit, *L. Seruitutes. §. si antea. ff. de seruit. Vrban. præd. L. sed si quis §. proprietarius. 6. ff. Vsufructu. L. etsi forte. §. fin. ff. si seruit. vend. L. certò generi §. si totum ff. De Seruitut. rust. præd.* ita nec censitus in præiudicium censitoris prædium censuale deterius reddere, aut mutare potest, Martini *loc. cit. n. 223.*

24. Conclusio † Secunda: si pactum & conuentum fuit, vt reditus siue census annuus constituatur super certis bonis, & quidem limitatè ad illa, ita vt constituens & eius hæredes non teneantur ad solutionem censûs, nisi ratione rei, & quamdiu illa possident: tunc peremptâ re perimitur ipse census, Lessius *lib. 2. dub. 12. c. 22. n. 75.* Couarr. *Var. resol. l. 3. c. 7. n. 5. § quartò* vbi Rationem reddit: quia tunc nulla adest personalis obligatio.

25. Conclusio † Tertia: Si census annuus cum hoc pacto constituatur super certis bonis, vt ijs pro parte vel in totum peremptis adhuc teneatur venditor censum soluere, siue vt venditor ad pensionem prestandam maneat personaliter obligatus, plerique dicunt, censum post interitum bonorum deberi. Idque ex Romanorum Pontificum constitutionibus, *vide l. Extrauag. Martini. Vers. sed ad hoc. & extrauag. Calixti V. sed idem ementes,* ostendere conatur Couarruuias *Var. resol. l. 3. c. 7. n. 5. § primùm* vbi dicit, id in praxi plerúmque tractari. Vide etiam Fachinæum. *lib. 2. contrαu. c. 44. arg. 1.* Laynman *de pact. & contract. c. 18. n. 10.* Frid. Martini *c. 8. n. 236.* Molinam *disp. 389. clausf. 1. & disp. 391. clausf. 8. num. 4.* Lessium *l. 2. c. 22 dub. 11. num. 66.*

26. Ratio: † quia pactum tale (quod assecurationis vocant) ita conceptum, vt tametsi res pereat, (in censu reali) nihilominus persona vnà cum hæredibus eius obligata sit, facit censum virtute personalem esse, siue mixtum ex reali & personali. E. reali extincto adhuc remanet census personalis, *Lessius l. 2. c. 22. dub. 4. n. 23. & dub. 11. n. 66. Laynman loc. cit. n. 12. Frid. Martini. c. 4. n. 18. §. denique. id: c. 8. n. 236.*

Quare

Quare non † tantùm actionem realem tribuit erga rem, sed etiam re pereunte erga personam, *Laynman loc. cit.* Et † quamuis Molina *disp.* 391. *n.* 4. Lessius *d. n.* 66. atque Laynman *n.* 10. velint obligationem hanc venditori compensandam, pretium census augendo, vel quod eodem redit, minorem pensionem designando: tamen ijs repugnat Frid. Martini. *num.* 237. per † Rationem: quòd id pactum sit secundùm naturam contractus, ideóque peculiari pretij compensatione non indigeat. Plura de hac conclusione *inf. p.* 2. *q.* 8. vbi de renunciatione casuum fortuitorum agam. 27. 28.

Si autem nullum speciale pactum intercesserit est

CONCLVSIO † QVARTA: Si census absolutè & simpliciter est personalis, tunc omnibus bonis censiti extinctis obligatio personalis ad pensionem soluendam manet integra & salua, & nullo modo extinguitur, *Lessius l.* 2. *c.* 22. *dub.* 5. *n.* 38. *Frid. Martini c.* 4. *num.* 52. *idem c.* 8. *n.* 199. per † Rationem: quia obligatio personalis sequitur personam, *L. actiones L. actio ff de A. & O.* §. *omnium. inst de action.* 29. 30.

Itáque re censuali extinctâ constituens adhuc ad solutionem conueniri potest, *Fach. l.* 2. *contron. c.* 44. *argt.* 4. *Lessius l.* 2. *c.* 22. *dub.* 2. *n.* 8. *& dubio* 5. *n.* 38. vbi ait: etiamsi bona debitoris pereant, non tamen perit obligatio huius census, cum sit personalis, sed tantùm consopitur, donec melior fortuna obtigerit.

Amplia: † etiamsi bona quædam demonstrationis caussâ addita pereant, vt nihilominus bonis & prædijs peremptis maneat censitus ad annuam præstationem obligatus, v. g. si dicat, vendo tibi centum modios frumenti, jure census, singulis annis soluendos, atque ex tali prædio præstandos., *L. fin.* §. *f ff de contrah empt.* Ratio † secundùm Fridericum Martini. *c* 8. *n.* 240. quia prædium ideo tantùm fuit nominatum, vt intelligatur, ex quo prædio pensio debeat percipi. 31. 32.

CONCLVSIO † QVINTA: Si census personalis fuerit hypothecâ subnixus, pereunte hypothecâ non perit jus census. Vel aliter: quando fundus talis peremptus est, qui tantùm ad maiorem emptoris securitatem accessoriè in obligationem, & contractum venit, persona nihilominus ad solutionem reditûs manet obligata; Lessius *l.* 2. *c.* 22. *dub.* 5. *n.* 35. Binsfeldius *c. in ciuitate. q.* 12. *conclus.* 4. *&* 12. *de Vsuris* 33.

Vsuris. Andr. Gail. 2. *obs.* 7. *n.* 13. Couarr. *var. resol l.* 3. *c.* 7. *n.* 5 §. *primum enim,* & §. *quartò.* Frid. Martini *cap.* 4. *n.* 53. *idem. c.* 8. *n.* 238. Molina. *disput.* 383. *n.* 6.

Ratio † est: quia ea est natura pignoris, & hypothecæ, vt etiamsi
34. perierint, debitor nihilominus teneatur debitum soluere, *L. seruo. C. de pignor. L. pignus. C. de pignorat. action. L. creditor qui non idoneum. ff. si cert. pet.* & hypothecâ pereunte adhuc maneat obligatio personalis in
35. debitore, Lessius *l.* 2. *c.* 22. *dub.* 5. *n.* 35. Ratio † rationis: quia tunc obligatio ad solutionem annui reditus præcipua est personalis, fundus autem, vel res ipsa accessoriè tantùm apponitur pro certiore solutione. E. principalis obligatio, quæ personalis est, hîc consideratur, non accessoria. Huc faciunt ea, quæ supra in argto. 1. fuerunt allata.

36. Conclvsio † Sexta: Si census sit merè & purè personalis, mortuo eo, qui censum constituit, non extinguitur jus census, sed transit in hæredem, Molina *de contract. tract.* 2. *disp.* 383. §. *cum hoc discrimine* Frid Martini. *c.* 8. *n.* 199. Iac. Venentus. *tract. de annua præstat. q* 30. Lessius *l.* 2. *c.* 22 *dub.* 4. *n.* 17. & *n.* 19. *inf.* vbi dicit: sicut obligationes aliæ personales ex alijs contractibus ortæ transeunt ad hæredes, eosq; obligant lege justitiæ, ita etiam hæc obligatio soluendæ pensionis,
37. licet sit merè personalis, ad hæredes transire potest. Ratio † est: quia actiones ex contractibus descendentes actiuè & passiuè in hæredem transeunt, *L. ex contractibus.* 49. *ff. de O.* & *A. princ. inst. de perpet.*
38. & *tempor. action.* Ratio † alia: quia licet personalia ad personam tertiam non egrediantur, *L. cum qui, aliàs L. sed etsi.* 7. §. *si petenti. ff. de*
39. *Public. in rem act.* nihilominus † actiones personales ad hæredem transeunt, quia hæres & defunctus censentur vna & eadem esse per-
40. sona, *Nouel. de iureiurando à moriente præstit. inf.* Ratio † tertia: quia nemo centum florenis, v. g. censum quinque florenorum ad vitam tantùm venditoris, & non hæredum simul emere præsumitur, Frid.
41. Martini. *n.* 201. vbi *& n seqq.* argumenta contraria soluit. Ratio † quarta: quia obligatio est magis transitoria ex parte promittentis, quàm
42. ex parte stipulantis, vti videmus † in vsu & vsufruct. qui ex parte stipulantis est personalis, (morte enim finitur;) & tamen ex parte pro-

missо-

missoris transit, *l. 5. §. reo. ff. de vsufr. l. vti frui. §. 1. ff. si vsusfructus petat. §. finitur. inst. de vsufr.* idem † in alimentis debitis, quia ex parte eius, 43.
cui debentur, non transeunt ad hæredem, *L. cũ hi. §. modus ff. de transact.* & tamen ex parte debitoris transit obligatio ad hæredes, *L. libertis, quos. §. 1. ff. de aliment. & cibar. leg. Iacob. Venentus loc. cit. q. 30.*

Quid si † autem persona hæredis sit infructifera (sicut sæpe fieri 44.
solet, vt viro industrio succedat homo nullius frugis) quid tunc iuris?
Ad hoc respondent illi, qui † putant censum personalem non nisi su- 45.
per persona fructifera constitui posse, quòd si nulla adsint bona hypothecata, expiret jus census, eo modo, quo expirat, si persona, quæ tempore emptionis fuit fructifera, postea nullius redderetur frugis, vel res, ex qua census est emptus, fieret perpetuò sterilis, Frid. Martini. *n. 204. c. 8.* Verùm † quia ego suppono, quòd census personalis super 46.
persona etiam non fructifera constitui possit, per tradita *sup. q. 2. n. 26.* hoc supposito nullum dubium est, quin census nihilominus ab hærede debeatur. Imò † etiam in altera opinione plenius distinguendum 47.
videtur, vtrùm persona infructifera sit sua culpa, v. g. ex mera pigritia & inertia: an vero propter aduersam valetudinem, aliámue similem causam, per tradita *inf. q. seq. in pr.*

Quid † si autem is, qui censum personalem vendidit, sine hærede 48.
moriatur? tunc jus census omninò extinguitur. Couarr. *l. 3. var. res. c. 3. n. 6. v. quod item,* & post eum Frid. Martini *c. 8. num. 205.* Ratio † 49.
supra fuit indicata, quia personalia ad personam extraneam non egrediuntur; & quia obligatio tanquam accidens non potest consistere sine subiecto, *l. 4. §. 1. ibi non potest æstimari. ff. de act. empti. l. 1. ff. de Hæred. vend.*

Conclvsio † Septima: Si census merè realis super vno, vel 50.
quibusdam prædijs seu fundis in specie constituitur, prædio vel prædijs *in totum* extinctis, census in totum & prorsus perit, ita vt debitor nullo modo maneat obligatus ad annuam præstationem soluendam.
Et hæc † est ferè communis DD. sententia, Aluar. Valasc. *de iure emphyt. q. 32. n. 16.* Frid. Martini *c. 4. n. 55. Idem c. 8. n. 213.* Laynman *de pactis & contract. c. 18. n. 4.* Lessius *l. 2. c. 22. dub. 2. n. 8. idem dub. 5.* Eman. Sa *in aphor. confess. v. census n. 1.* Felician. de Solis *l. 1. c. 4. de censib. Vid.* 51.

tamen eund. l. 1. c. 8. n. 19. Quibus autem verbis inducatur cēnsus merè realis, vide supra *q. 3.*

52\. Hanc † conclusionem probant primò per extrauagantes Martini V. *§. sed ad hoc,* & Calixti III. *§. sed ÿdem ementes* Pontificum, in quibus dicitur, quòd prædijs destructis venditor ad sortem, siue pretium reddendum cogi nequeat. E. hoc ipso indicatur, rei interitu censum perire: non enim aliam ob causam venditor censûs prædijs destructis ad pretium reddendum cogi nequit, quàm quia rei interitu census est extinctus, Frid. Martini. *c. 8. n. 114. & n. 216.* Leonh. Lessius *dub. 5. num. 35 in f. Vid.* Fachin. *lib. 2. controu cap. 44. in resp. ad argt. 1.* vbi dicit: cum ad sortem repetendam extinguatur actio, videri etiam in consequentiam actionem extingui ad census annuos petendos, qui

53\. propter ipsam sortem pecuniæ præstantur. Aliter † cupit hoc elicere Valascus *loco cit.* quia Pontifices in dictis extrauagantibus re peremptá statuerunt peremptam esse obligationem reddendi sortem datam pro annuo reditu, qui casus erat maioris dubij, quia contractus habebat tractum successiuũ, & pecunia vtpote genus non erat perempta: tantum autem dubium non erat, vtrùm re peremptá teneretur censitus ad annuam solutionem.

54\. Verùm † ego hoc argumentum non ita vrgens esse existimo, quemadmodùm vulgò putatur, vide Felician. de Solis *l. 1. c. 8. n. f. §. contrarium. de Cens.*

55\. Probant † secundò: per cōnstitutionem Pij V. ann. 1568. editam, vbi inter cætera his verbis sanciuit: postremò censûs omnes in futurum creandos, non solum re in totum, vel pro parte peremptâ, &c. volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui, non obstante etiam longissimi temporis ac immemorabili, imò centum & plurium annorum præscriptione: non obstantibus aliquibus pactis, directè vel indirectè talem facultatem auferentibus, quibuscúnque verbis, aut clausulis concepta sint.

56\. Sed quia † Bulla Pij V. apud nos non est recepta; nescio quàm efficax argumentum inde deduci possit, vide Felician de Solis *l. 1. c. 8. n. f. 4. extrauag.*

57\. Nisi velimus dicere, eatenus † non esse receptá, quatenus census necessariò debeant super rebus specificis, fructiferis cōstitui, ita vt nulli valeant census personales, vel super rebus infructi-

feris,

feris, aut rebus incertis constituti: sed eatenus bene, vt in casu, quo super rebus certis constituti sunt, ijs peremptis census pereat: adeóque quòd sit recepta, in quantum est juris antiqui declaratiua, non quatenus juris noui inductiua, Felician. de Solis *l. 1. c. 4. de cens. n. 4. inf.* Et hoc † videntur innuere Dd. quando dicunt, quòd hæc conditio tanquam intrinseca sit censui reali, vt pereunte re, pereat etiam ipse census, Lessius *dub. 5. n. 35. in f.* vt periculum rei, super qua census locatus est, incumbat emptori, ita vt si absque culpa domini res pereat, totus census corruat, Laynman *de pact. & contract. c. 18. num. 4.* vbi proinde consultum putat, censum super pluribus fundis opulentis, ac securis collocari. Vide etiam Couarr. *var. res. l. 3. c. 7. n. 5. §. Verum.* Fachin. *l. 2. controu. cap. 44. in resp. ad vlt.* Quare etiam Frid. Martini *c. 8. n. 214. & c. 4. n. 55. idem c. 8. n. 187.* 58.

Rationem † huius conclusionis assignat talem: venditione perfectâ, potissimum autem re traditâ vel quasi, periculum rei venditæ ad emptorem pertinet, *l. 1. l. necessariò, imò l. 2. ff. & C. de peric. & commod. rei vend.* igitur peremptâ re, ex qua census est venditus, vel in qua jus census est emptum, perit & census. 59.

Sed † quia Dd. prællegati, & ratio, quam adducunt, præsupponant, quòd ad justitiam huius contractus requiratur, vt constituatur super certis bonis, ita vt peremptis illis perimatur & census, quod est contra ea, quæ supra *quæst. 2.* fuerunt dicta, ideo in ea me non multũ fundo, quia cùm dominium rei censualis non transeat, neque transiturum sit in emptorem, nec periculum transire debet, vide Felician. de Solis *l. 1. de cens. cap. 8 n f. §. quod verò.* 60.

Ratio † secunda: census publicus minuitur diminutis bonis, *l. 4. §. quare, per l. forma §. 1. ff. de Cens. L. 2. C. de alluuion. L. vnic. C. de collat. donat. L. omne territorium, C. de cens. & censit. l. 11. vbi gl.* Iac. Schultes *in locis communib. v. census n. 3.* cur E. non etiam priuatus? Sed nec † hoc argumentum efficax est: quia census publicus imponitur pro mensura prædiorum, & numero jugerum, *l. munerum. §. patrimoniorum. ff. de muner. & honor. L. in honoribus. ff. de vacat. mun.* at census priuatus non pro ratione facultatum aut prædiorum præstatur, sed pro ratione pretij, quod pro jure census datur, *Frid. Martini cap. 8. n. 127.* 61. 62.

Ratio † tertia assignatur à Frid. Martini *c. 8. n. 188.* vbi ait: debitor 63.

tor ſpeciei, hoc eſt alicuius indiuidui liberatur, ſi res ſeu ſpecies caſu fortuito ſine ſua culpa perit, *L. ſi ex legati cauſa, L. ſi ſeruum. ff. de V. O.* atqui is, qui vendit cenſum ex certo prædio, eſt debitor ſpeciei: igitur
64. interitu eius liberatur. Verùm hic † negari poteſt minor; & dici, quòd debeatur non prædium ipſum in ſpecie, ſed penſio pecuniaria ex prædio in genere.

65. Ratio † quarta: quia ſi cenſus realis bonis peremptis adhuc deberetur, tunc deberet dici, quod ex tunc reſolueretur in perſonalem, vel in ſe contineret perſonalem: conſequens eſt abſurdum. E. &c. m. pr. quia ſicut venditio vnius certæ rei, puta domus, non continet venditionem alterius rei, puta prati; nec illius venditio reſoluitur in hanc: ita nec venditio cenſus ex certo fundo facta includit, vel reſoluitur in venditionem juris ipſius perſonæ, poſt Molinam *diſput.* 383. Frid. Martini *c. 4. n.* 56.

66. Ratio † quinta: cenſus ſe habet ad fundum, ſeu rem cenſui ſubiectam, tanquam accidens ad ſubiectum, *Fred. Martini. c. 3. n.* 3. & eſt vel quaſi vſusfructus, aut portio eius, *Laynman. d. c* 18. *n.* 4. vel tanquam ſeruitus *per tradit. a ſupra quaſt.* 3. vel tanquam pars dominij, *Leſſius l. 2.*
67. *c. 22. dub. 2. n.* 8. Sicut ergo † accidens tollitur ſublato ſubiecto, *l. 4. §. 1. ff. de act. empti.* & acceſſorium collabitur lapſo principali, *l. f. ff. de pact. l. Papinianus. 8. §. ſed nec ff. de inoffic. teſtam.* & vſusfructus tollitur ſublato corpore, *princ. inſt. de vſufruct. l. 2. ff. eod. l. caro. 30. §. fin. ff quib. mod. vſusfruct. amit. l. corruptionem. 16. §. ſed hac nos C. de vſufr. §. eo amplius inſt. de vſufr.* & rei ſeruientis interitu jus ſeruitutis extinguitur, *L. vnus ex ſocijs. §. f. cum l ſeq. ff de ſeruit: ruſt. præd. l. ſi locus. ff. quemadm. ſeruit. amitt. l. 1. §. ſi quis ff. de itiner. actuq. priuat.* ita quoque interitu rei, in qua cenſus eſt conſtitutus, perit jus cenſus, *Leſſius. l. 2. c. 22. dub. 5. n. 35. dub. 2. n. 8. Laynman. loc. cit. n. 4. Fred. Martini. c. 8. n* 214.
68. deſtructo enim † fundamento corruit ædificium, *c. cum Paulus. 1. q. 1.* ſic pereunte & deſtructa re emphyteutica perit emphyteuſis, *l. 1. & ibi Dd. C. de iure Emphyt.* Ratio ſecundùm Valaſc. *loc. cit.* quia jus reale cum re ipſa finiri oportet.

69. Confirmatur † inde: Dd. ſupra concluſione tertia allegati diſputant, vtrum valeat pactum tale, vt bonis peremptis adhuc venditor tenea-

teneatur censum soluere: E. hoc ipso tacitè indicant, citra peculiare pactum periculum ad emptorem spectare, ita vt venditor prædio perempto non amplius teneatur. Si enim hoc ex natura contractus veniret, frustra de speciali pacto disceptatio institueretur. Imò † non 70.
desunt ex illis quoque supra *quæst.* 4. allegatis, qui putant, in censu reali obligationem etiam personalem concurrere, nihilominus tamen eam cum prædio perire, per rationem: quòd obligatio personalis † 71.
contracta sit respectu certæ rei, ideóq; duret solummodo tamdiu, quamdiu res durat, & quòd extinguatur ipsius rei peremptione & interitu, *argto. L. Titia textores in f. & l. quidam. §. si tibi. ff. de leg.* 1.

Ego † in hac conclusione, & in re ipsa nullam difficultatem ha- 72.
beo, sed tantùm in rationum pondere, & in eo, quibus verbis inducatur census realis, de quo vide supra. *quæst.* 3. Neq; huic conclusioni obstant argumenta supra in contrarium allata.

Ad primum † enim respondetur, negando in censu merè reali 73.
obligationem principalem tantùm personalem, & fundum censualem tantùm hypothecæ loco esse, quemadmodum in resolutione, *quæst.* 4. ad longum fuit expositum. vide aliter respondentem Frid. Martini. *c.* 4. *n.* 58. *cum seqq.* & *c.* 8. *n.* 185.

Ad † secundum respondet idem Frid. Martini. *c.* 8. *n.* 188. quod 74.
non ideo destructis prædijs ad pretium reddendum venditor cogi nequeat, quasi jus census remaneat saluum, sed quia finitum est & extinctum. Similiter Andr. Fachinæ. *l.* 2. *contron. c.* 44. *in resp. ad arg.* 1. respondet: quòd re peremptâ perimatur actio ad sortem repetendam; inde autem non sequi, actionem ad censum annuum rebus etiam peremptis saluam remanere. Imò cum ad sortem repetendam extinguatur actio, videri etiam in consequentiam actionem extingui ad census annuos petendos, qui propter ipsam sortem pecuniæ præstantur. Ad rationem † consequentiæ respondet idem. *c.* 4. *n.* 57. quòd 75.
Pontifices in dictis extrauagantibus, vnam rem dubiam deciderint, alteram, quæ dubio carebat, indecisam reliquerint. Vtrum peremptis rebus censualibus adhuc obligetur venditor personaliter, ad censum vlterius præstandum, id omni pugna carebat, sed vtrum valeret contractus hoc pacto initus, vt censiti ad restituendum pretium, (quod

vulgò ſortem vocant) compelli poſſint, etiam bonis peremptis? hoc valde dubium erat, proinde validum huiuſmodi contractum Ponti-

76. fices decreuiſſe. Ita † ipſe, quamuis ſi textus bene inſpiciatur, alius ſenſus poſſit elici, & fortaſſis iſte: ſortem regulariter à venditore cenſus repeti non poſſe, & ne tunc quidem, quando prædia, ſuper quibus cenſus conſtituitur, interierunt. Tu tamen trutina melius.

77. Ad tertium † reſpondent illi, qui non niſi reales cenſus admittunt, prædia cenſualia non in fauorem ementis, ſed potiùs in odium eius apponi, vt videlicet aliquod periculum rei emptæ ſuſtineat, quemadmodùm ſupra *quaſt.* 1. fuit declaratum. Imò alia ratione contractum cenſualem ratione emptoris odio plenum eſſe tradit

78. Frid. Martini. *c.* 8. *n.* 217. Poſito † autem, quòd fauorabilis eſſet, alij reſpondere poſſunt, etiam vſumfructum & alias ſeruitutes, in fauorem vſufructuarij, eorúmq; , qui ſeruitute vtuntur, introduci ſolere, & nihilominus fundò, tanquam ſubiecto pereunte, ipſas quoque interire.

79. Quid † autem juris ſit, ſi in locum rei cenſualis deſtructæ alia reponatur, vel illa reſtituatur, an oneri cenſus ſubiecta ſit, vide apud Frid. Martini. *c.* 8 *n.* 218. *cum ſeqq.* vbi negat. Similiter & Leſſius *l.* 2. *c.* 22. *dub.* 12. *n.* 91. eo quòd ſit res diſtincta à priore. In hoc tamen jubet ſpectare conſuetudinem loci, quia multis locis vſus eſt contra-

80. rius. An † ſeruitus, quæ loco ſublato extincta fuit, iterum reſtituatur, ſi locus in priſtinam formam fuerit reſtitutus. *Vide. l. ſi locus.* 14. *in pr. ff. quemad. ſeruit. amitt. l. ſi teſtamento* 30. *ff. de ſeruit. Vrb. prædi l. Vnus* 34. *§. fin. cum l. ſeq. ff. de ſeruit. ruſt. præd. l. cum Vſumfr.* 24. *ff. quibus mod. Vſusf. amitt. l. ſi ager.* 23. *ff. eod. l. qui Vſumfructum.* 36. *in princ. ff. de Vſufr. l. ſi in area.* 17. *ff. eod. l. ſeruitutes.* 19. *§. ſi ſublatum. ff. de ſeruit. Vrb. præd.* VVeſenb. *in parat. n.* 4. *ff. quem. ſeru. am.* VVeizenegg *de ſeruit. differt.* 1 *c.* 8. *n. f.*

81. Ampliatur † autem concluſio iſta: vt licet præter rem cenſui ſubiectam fuiſſet etiam hypotheca accepta, tamen propter eam adhuc ſuperſtitem & ſaluam, jus cenſus ſaluum non maneat, & quod hypotheca nullum vſum habeat, ſi res cenſui ſubiecta pereat, *Leſſius. l.* 2. *c.*

82. 22. *dub.* 5. Ratio † eſt: quia hypotheca eſt tantùm acceſſio, atqui acceſſio ſubſiſtere non poteſt principali non ſubſiſtente, *argt. L. cum principa*

principalis. 138. *ff. de R. I. c. inter dilectos. ext de fide instrument.* Ad † 83.
quid E. seruit talis hypotheca? ad hoc, vt si fortè debitor census nolit (re censuali adhuc saluâ) soluere pensiones, possit vendi hypotheca, vt ex ea solutio petatur, *Lessius loc. cit.*

Limitatur † deinde conclusio non procedere, si pactum assecu- 84.
rationis accesserit, atque ita acceptum fuerit, vt licet res pereat in censu reali, nihilominus persona vnâ cum hæredibus eius obligata sit, *Laymann. c. 18. n. 12 vid. sup. conclus.* 3.

Limitatur † secundò: nisi census non sit merè realis, sed mixtus, 85.
tunc enim cessante jure reali, adhuc superest actio & obligatio personalis.

CONCLVSIO † OCTAVA: Si prædium censuale non in totum, 86.
sed pro parte tantùm pereat, magna controuersia est, & valdè dubiũ, vtrùm reales census adhuc debeantur, nec ne. Si † pactum assecura- 87.
tionis intercessit, de quo supra. *conclus.* 3. res non habet difficultatem, sed indistinctè census debentur; siue fructus censui æquiualentes prædium adhuc præstet, siue non, Molina. *disp.* 391. *claus.* 8. *n.* 4. Sed citra
† tale pactum Frid. Martini. *c.* 8. *n.* 114. putat, si id, quod de prædio 88.
censuali superest, tantum ferat, quantum ad annuam pensionem præstandam satis est, tunc partis interitu censum neq; in totum, neq; pro parte perire: Sin verò prædij pars, quæ superest, ad tantos fructus, quanti ad annuas pensiones præstandas requiruntur, non sufficiat, tunc censum eatenus perire, quatenus ad integrum reditum præstandum non sufficiunt.

Argumentum † autem deducit ex *l.* 1. *§. f. C. de iure emphyt.* in qua 89.
habetur: si emphyteusis in totum pereat, quòd liberetur emphyteuta ab onere canonis: sin partim corrumpatur, nullo modo liberetur, sed ad integrum canonem præstandum obligetur; & meritò: quia emphyteuta † principaliter soluit canonem, non propter fructus, & v- 90.
sum rei, sed propter recognitionem dominij, quòd æquè recognosci
debet in parte, atque in toto. Hoc tamen limitant: Nisi † emphy- 91.
teuta canonem soluat nimis magnum, hoc est, fructibus tempore constitutionis æqualem, quia tunc intelligitur pensionem soluere pro vsu rei, & ideo eodem beneficio & jure vti potest, quo colonus. Proinde

92. inde † si fructus, qui ex emphyteusi deteriorata, & maiore parte perempta percipiuntur, canone sint minores, pro rata canonem minui æquitas suadet, Iulius Clarus. *§ emphyteusis, q.8*, Gail. *2. obs. 23 n. 24.* Sichardus *ad l. 1. C. de iure Emphyteutico. num. 28.* E. infert prædictus Martini, si prædium censuale totum destruatur, à pensione prorsus liberatur censitus: sin verò partim intereat, ad integram pensionem remanet obligatus, nisi fructus tanti non percipiantur, quanti
93. ad annuam pensionem sunt necessarij. Sed nescio, an † hoc argumentum concludat, & stringat, quia censitus præstat census non propter fructus, eos enim percipit non ex beneficio censitoris, sed jure suo & dominij; deinde census (vt suppono) possunt fundari super re etiam non fructifera (quod Frid. Martini negat, ac ideo fortassis huic fundamento innititur.) E. attendi non debet, quos & quantos
94. fructus prædium censuale ferat. Nam † si hoc attendendum esset, & censitus colono æquiparari posset, consequeretur, quòd etiam propter sterilitatem census remitti deberet, quemadmodum pensio colono remittitur, *L. licet C. de locat. L. si merces, §. vis maior ff. eod. c. propter sterilitatem ext: eod: vbi DD.* quod tamen Martini *d. cap. 8. n. 235* fieri debere negat.

95. Alij † aliter opinantur, & dicunt, quòd destructâ re censuali pro parte, census nihilominus conseruetur in totum, & quòd censitus
96. adhuc conueniri possit in solidum. Argumentum † potest peti ex seruitute vsusfructus, in illo enim ita comparatum est, vt quamdiu quælibet portio fundi remanet, totius vsumfructum retineat, *L. si, cui. 53. ff. de vsufr.* adeóq; per partem integer vsusfructus retinetur,
97. *Gothof. ibid.* Aliud ex † seruitute itineris, & *L. vna est via. 18. ff. de seruit.*
98. *rust. præd.* Aliud † ex pignore, si enim res non tota intereat, sed pars eius, nō soluitur pignus, *VVesenb. n. 3. ff. quib. mod. pig.* ita vt domo combustâ adhuc area maneat oppignorata. *L. domo ff. de pignor act. L. si fundus. §. si res. ff. de pignor. Frid. Martini. c. 8. de Censib. n. 220.*

99. Verùm † quia in quæstione 4. dictum fuit, jus census neque hypothecam, neque seruitutem aut vsumfructum esse; sed propriam aliquam & separatam naturam habere, ideo ab illis non rectè fit illatio,

nisi

nisi fortè eatenus, quatenus ostenderetur, hanc esse naturam juris, & oneris realis, vt totum sit in toto, & totum in qualibet parte.

Præterea, † inquiunt, Dd. suadent, vt aliquis censum constituat, non super vno tantùm, sed super pluribus prædijs, ad hoc, vt vno pereunte adhuc maneat jus census saluum, *Layman. c. 18 de pact. & contract. n.* 4. hoc autem consilium esset frustraneum, si re pro parte pereunte, periret pro eadem jus census. Verùm ad hoc responderi potest, hoc consilium præberi ab illis tantùm, qui ductum bullæ Pij V. sequuntur, de qua infra. Insuper contrahentes ipsi plerumque faciunt sibi pro censibus assignari prædia plura, eo animo, vt inde certius vel stabilius census haberi possit: actus autem agentium ita interpretandus, vt operetur aliquem effectum. *argu. l. quoties.* 80. *ff. de V. O.* Sed etiam † ad hoc responderi potest, id fieri ex quodam errore juris. Contrahentes enim illi regulant animum suum secundum naturam hypothecæ, & existimant, rem censui subiectam nihil aliud esse nisi hypothecam, in quo errore etiam Canis. Couarr. & alios contutos esse, dictum est *quæst.* 4. 100. 101. 102.

Ex † his itaque apparet opinionem affirmatiuam vtcunque probabilem, non tamen omninò euidenter demonstratam esse. 103.

Contraria † opinio: quòd videlicet tunc, si prædium censuale pro parte pereat, pro rata etiam census pereat, à pluribus defenditur, & magis communis est. Sic † Eman. Sa *in aphor confessar. v. census n.* 1. expressè dicit, perire censum pro rata re pereunte, aut sterili facta. Gail † 2 *obs.* 7. *n.* 11. putat, redituum siue censuum emptionem non valere, nisi ad certum fundum referantur, ita vt eo perempto vel imminuto, reditus simul pereat, vel minuatur. Fachinæus † *lib.* 2. *controu. c.* 44 *in resp. ad* 5 *le.* tradit censum super certis rebus constituendum esse, vt re perempta vel infrugifera reddita, pecuniæ amittendæ periculum emptor habeat. Lessius † *l.* 2 *c.* 22. *dub.* 2. *n.* 8 arbitratur, re censuali ex parte, vel in totum pereunte, perire similiter censum, & addit *dub.* 7. rationem: quia sicut pereunte re dominium eius perit, ita etiam jus percipiendi fructus ex illa, est enim census realis secundum ipsum nihil aliud, quam pars illius juris, quod in dominio continetur: 104. 105. 106. 107. 108.

tinetur: hinc dicit n. 35. in f. quod pereunte re, pereat etiam pro rata ipse census. Idem Lessius dub. 12. n. 88. ita ratiocinatur: est enim census totus ita fundatus in agro censuali, & pars in parte agri, vt pereunte parte, vel in perpetuum infrugifera reddita, pereat census pro rata. Hoc † tamen limitat: vt non procedat, si ad tempus tan-
109. tùm pars aliqua rei pereat, vel infrugifera sit reddita, vt tunc non pereat census ex parte, sed totus maneat, vnde si reliqua pars adhuc aliquid ferat, ex eo debetur solutio integra, qua de re pluribus seq. quæst.

Frid. † Martini sibi † nonnihil contrarius c. 4. n. 61. dicit: in
110. censu reali (de eo enim n. 55. loqui cœpit) venditorem ad soluendas pensiones personaliter obligatū manere sub conditione, si & quamdiu jus census est saluum, id est, prædium ex quo census est venditus, manet integrum fructiferumque. Idem c. vlt. num. 129. tradit: quod census realis ita sit extensus in totum prædium, vt totus sit in toto,
111. non autem totus in singulis partibus, sed pars in parte. Ex quo † ibidem infert, si census realis super prædio constitutus sit, quòd diuiso prædio censuali, pro rata eius partis, quam tenent, singuli possessores conueniri possint, E. idem quoque dicere debet in prædio pro parte destructo; non enim apparet solida aliqua ratio inter diuisionem & destructionem, quoad hunc effectum.

112. Fundatur † autem hæc opinio in bulla Pij V. Pontificis, anno „ 1568. edita, in qua expresse statuitur, postremò census in futurum „ creandos, re in totum vel pro parte peremptâ, aut in fructuosâ in to- „ tum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire. Quod † ipso
113. Frid. Martini teste ita est intelligendum, vt etsi reliquum prædij tantos fructus præstet, quanti ad annuas pensiones sufficiant. Respondet quidem ipse, bullam istam in Germania & terris Imperij non esse receptam, ideoque non obligare. Sed jam † alibi dixi; in hoc qui-
114. dem non receptam esse, quod census necessariò super rebus, & quidem specificis, atque frugiferis constitui debeat, illisque conditionibus, quæ ibi recensentur, adeóque quoad formam & modum constituendi; dubium verò esse, an non saltem quoad effectum, ita vt si census merè realis constitutus sit, tunc effectum quoad interitum

suum

sum sortiri possit. In hoc enim non videtur quidpiam noui constituisse, sed jus antiquum tantum declarasse. Vide Molinam *disp.* 391. *num.* 4. vbi ait: si census sint simpliciter (absque pacto assecurationis) constituti, quòd tunc, quoad hanc clausulam, nihilominus valeat bulla, etiam vbi non est recepta, quia quoad hoc naturæ census realis innititur.

Sed quia hæc solicitam dubitationem recipiunt, ideo abstrahendo à bulla Pij V. audiamus.

Rationem, quam † ipse Frid. Martini recitat: quæ est ratio totius ad totum, eadem est ratio partis ad partem, *L. quæ de tota. ff. de rei vind.* atqui totius rei censualis interitu perit jus census in totum. E. interitu partis rei censualis extinguitur jus census in parte. Dicit quidem † *id. ibid. n.* 230. hanc esse differentiæ rationem, quòd prædio censuali in totum perempto jus census in totum necessariò pereat: at re censuali partim destructâ fieri posse, vt quod reliquum est de prædio censuali, tot adhuc, aut plures ferat fructus, quàm quot ad annuam pensionem soluendam sint necessarij. Sed † contrarium, quod sicuti prædio in totum perempto perit necessariò totus census: ita pro parte dimidia, tertia, aut quarta destructa pereat census in eadem proportionali parte, hoc est, in dimidia, tertia, aut quarta tradit Molina. *disp.* 391. *clausf.* 8. *n.* 3. vbi dicit, hoc verum esse, etiamsi id, quòd remanet ex re censui subiectâ, longè plures fructus ferat, quàm qui ad pensionem integram soluendam sufficiunt. Rationem † assignat talem: quia cum census ita extensus sit in re, in qua census est collocatus, quòd tota obligatio sit in re tota, & pars in parte, ideo pereunte parte rei, perit pars census: sed quando integra manet, totus persistit ac debetur. vide ad idem Frid. Martini. *c. Vlt. n.* 129. & 132. Lessium, *dub.* 12. *n.* 88. & quæ scripsi supra *q.* 6 *§. mihi Videtur.* vide simile quid apud Lessium *l.* 2. *c.* 22. *dub.* 12. *n.* 89. vbi ait: obligationem non diuidi, quamdiu res salua manet, sed totam manere in tota re, & quodammodo in singulis partibus, ita vt ex quauis possit totam solutionem accipere, tacitè innuens, aliud esse, quando res pro parte interijt.

Sed † adhuc non apparet solida aliqua ratio diuersitatis, quare

115. 116. 117. 118. 119.

re pro parte destructa, pereat pro parte census, & re pro parte alienata non transeat pro parte obligatio, & actio. Sicut enim in priori casu jus census sequitur subiectum suum in destructione & interitu: ita quoq; hic sequi posset in alienatione & transitu. Sed de hoc satis actum fuit sup. *d. q. 6.* Sepositâ igitur differentiâ, quàm Lessius inter destructionem & alienationem prædij censualis facit.

120. Confirmatur † opinio posterior Friderici Martini inde: quia si prædia censualia in manus pluriû transierint, singuli possessores non nisi pro parte, quàm possident, conueniri possunt, vt vidimus sup. *q. 6.* E. consequenter dicendum est, quòd diuisio census debeat fieri pro parte prædiorum diuisa vel destructa. vide Molinam *disp. 391. n. 3. in f.* Verùm † hoc ipsum dubium recipit, vt supra *q. 6.*
121. ostendi.

Puto proinde eam distinctionem adhiberi posse, quàm supra adhibui, videlicet, vt inspecto jure communi, siue naturâ aliorum jurium realium, & mente contrahentium, opinio affirmatiua locum habeat, & debitor adhuc in solidum conueniri possit.

122. Nam † quia nullus emere censum vellet, nisi cum eo grauamine, vt re adhuc pro parte saluâ integer census deberetur, dubito, an non contractus eo pacto censendus sit ab emente celebratus, per ea quæ in simili tradit Molina *dict. disp. 391. n. 3. in f.* & an non attentâ mente contrahentium re pro parte tantùm destructâ, cẽsus in reliquo conseruetur, per ea, quæ in simili *sup. q. 6.* fuerunt dicta, præsertim
123. † cùm interpretatio in hoc contractu emptionis sit facienda contra venditorem, qui si noluit, vt re pro parte destructâ, census in totum saluus maneat, hoc exprimere debuit, ipsius enim erat legem apertius contractui dicere, *argum. L. Veteribus. 39. ff. de pactis.* Inspecta † au-
124. tem bullâ Pij V. & peculiari naturâ censui attributâ, opinio contraria præualet, ita vt re pro parte destructâ, pro eadem parte census pereat.

Vidimus quid juris sit, si census realis constituatur, super vno vel altero prædio, definito, specifico, indiuiduo & determinato: sed quia aliquando constituitur super bonis indefinitè, vel super omnibus bonis

nis vniuerſaliter, videamus porro quid de his cenſendum.

Conclvsio † Nona: ſi cenſus conſtitutus ſit ſuper omnibus bonis vniuerſaliter, hunc in modum: vendo tibi cenſum ex omnibus bonis, rebus, juribúſque, quæ habeo & poſſideo, tunc peremptis omnibus bonis, tam mobilibus, quam immobilibus, non perit jus cenſus, ſed reſidet in perſona, quæ ad annuas penſiones remanet obligata: ita Frid. Martini *c. 8. n. 206. idem c. 4. n.* 48. Idem † putat eſſe: ſi cenſus conſtituatur ſuper bonis indefinite, eò quod oratio indefinita æquipolleat vniuerſali *c. 8. n. 210. cum ſeqq. & c. 4. n. 50. & 51.* vide etiam Leſsium *dub. 12. c. 22. n. 78.* Rationem † aſſignat iſtam: quia huiuſmodi cenſus eſt mixtus, partim perſonalis, partim realis E. deſtructis rebus, tanquam vno ex mixtis principali, alterum principale ex mixtis, jus laborum, induſtriæ & fructus remanet. 125. 126. 127.

128. Verùm † ego huic fundamento non innitor, ſed illi, quod contractus venditionis obligationem perſonalem, & obligatio prædiorũ jus reale inducat, eo modo, quo ſupra explicaui *q.* 3. Exinde autem naſcitur.

129. Conclvsio † Decima: Si cenſus ſit mixtus, hoc eſt, perſonalis cum reali coniunctus, tunc pereunte prædio remanet venditor ad ſoluendos reditus perſonaliter obligatus, ita Frid. Martini *c. 4. num. 54.* vide Felicianum de Solis *l. 1. c. 4. n. 3. de Cenſibus & lib. c. 8. n. f. §. quoniam* vbi dicit: ſublatâ de medio obligatione fundi, propter eius peremptionem & interitum, manet obligatio perſonalis, quæ non dependet ab altera, ſed per ſe ipſam & proprijs radicibus ſuffulta conſiſtebat. Vide eund. *l. 3. c. 4. n. 4. inf. & n. 5.* vbi tradit, quod fundo deſtructo, vel re peremptâ abſumptâ, vel alienatâ, perſonalis obligatio duret, & perſtet integra, vi cuius à debitore eiuſque hæredibus & fideiuſſoribus poſſint exigi reditus decurſi, præterea *l. 1. c. 8. n. f. §. contrarium verò.* vbi dicit, ſe hanc ſententiam ſemper defendiſſe legendo, conſulendo, & patrocinando.

130. Hoc tamen † Limitatur procedere in ſingulari ſucceſſore, qualis eſt emptor, donatarius, legatarius, ad quos res cenſu affecta peruenit. Nam ſi apud ipſos, & non apud venditorem prædium cenſuale perijt, tunc illi tertij poſſeſſores prorſus liberantur. Ratio † eſt: quia non

 aliter

aliter tenebantur, quàm quia prædium censuale cum onere suo ad ipsos transijt, *text. in c. ex literis. 5. in f. extr. de pignor. tot. tit. C. sine censu vel reliquis fund. comp. non posse.* hoc ipso ergo, dum prædio fuerunt de-
131. stituti, etiam ab onere fuerunt liberati. Deinde † quia census qui ab initio fuerat mixtus, si ad singularem successorem peruenit, & non de nouo recognitus fuit, efficitur merè realis, pro vt declaraui supra
132. *q. 3. circ. f.* Vide plura supra *q. 6.* Nam quibus † casibus re venditâ, aut in tertium alienatâ, debitor liberatur, ijsdem etiam, & longè magis re peremptâ liberabitur.

QVÆSTIO XII.

Vtrùm illi debitores censitici, qui nullos vel exiguos fructus ex prædijs suis perceperunt, pro illo tempore liberi sint à præstatione censuum.

1. QVoniam † interitus rei, alius est naturalis, vt cum res prorsus interit, & naturaliter perimitur, extinguitur, vel consumitur: alius verò ciuilis, & interpretatiuus, quando tam malè affecta est, vt nullus inde fructus percipi possit (nam † res dicitur perempta
2. & deperdita, quando eius vsus haberi non potest, *Gail. 2. obs. 23. n. 24.*) ideo postquam de naturali interitu actum fuit, etiam de ciuili non nihil agendum, & quia frequentior his annis fuit, pleniùs non nihil ei insistendum.

3. Suppono † autem hoc loco, prædia nullos vel modicos fructus tulisse propter aliquod infortunium, non propter culturam à debitore neglectam, vel studio derelictam. Nam hoc ipso, quò census super agro constitutus est, homo sine alio pacto tenetur ad eum bonâ fide & diligenter colendum, *Lessius. l. 2. c. 22. dub. 4. n. 19.* vide etiam *Molin. disp. 390. n. 14. in f.*

4. Ad quæstionem † ipsam veniendo videtur eam resoluisse Pius V. Pontifex, qui in bulla sua anno 1568. 14. Kal. Febr. edita vtrumq;

casum

casum huius & superioris quæstionis æqualiter definiuit, his verbis: "Postremò census omnes in futurum creandos, non solùm re in totum, vel pro parte peremptâ, aut infructuosâ in totum, vel pro parte effectâ, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui, non obstante etiam longissimi temporis, ac immemorabili, imò centum & plurium annorum præscriptione: non obstantibus aliquibus pactis, directè vel indirectè talem facultatem auferentibus, quibuscunq; verbis, aut clausulis concepta sint. Idipsum † videtur colligi ex Calixti Pontificis Extrauag. §. *sed ijdem attentes*, vbi æquiparat omnimodæ destructionis, & desolationis opprobrium. Vnde communiter † dicunt, quod inspectâ Bullâ Pij V. pereat census pro rata re pereunte, aut sterili factâ, vide Eman. Sa. *in aphoris. conf.* §. *Census*, *n.* 14 vel infrugiferâ redditâ, Fach. *l.* 2. *controu. c.* 44. *in resp. ad* 6. 5. 6.

Præter † hos textus faciunt pro affirmatiua multæ rationes, quarũ 7. Prima est ista: ex communi opinione Doctorum, fructus loci non debet esse minor reditu censûs, vt testatur Eman. Sa. *in aphor.* §. *census*. *n.* 6. Si E. nulli omninò nascuntur fructus, nullus debetur census. Quòd † etiam inde colligitur: quia Pius V. Pontifex voluit censum 8. constituendum esse super re frugifera, & quamuis non addat, quantæ frugis esse debeat, satis tamen significat, quòd debeat esse tanti, quantus est census, alioquin non satis aptè diceretur frugifera, Fach. *l.* 2. *controu. c.* 43. *vid. c.* 44. *in f.*

Ratio † secunda: si res censualis pro parte infructuosa reddita 9. est, pro ea parte debent remitti census, E. etiam tunc, si propter sterilitatem non producit fructus, vide Mol. *disp.* 390. *n.* 13. 14. *claus.* 4.

Ratio † tertia: quandocunque aliquid debetur ex fundo contem- 10. platione fructuum, subintelligitur tacita conditio, si fructus nascantur: *argu. L. interdum* 37. *ff. de V. O. Gothof. ad L. Firmio* 26 *in pr ff. quand. dies leg. ced.* atqui censuum præstatio (saltem si de reali censu loquamur) ex fundo debetur, vti colligitur ex verbis, vendo tibi censum ex prædio meo: E. præstatio censuum habet tacitam istam conditionem: si fructus nati & percepti fuerint, *argu. L. cùm certum* 5. *ff. de trit. vino vel oleo leg. argu. L. inter stipulantem.* 83. §. *sacram.* 3. *ff. V. O.* & per consequens, si fructus non nascantur, vel non percipiantur, concl.

concidit obligatio, aut saltem non nisi pro rata fructuum nascitur;
11. quia † sub conditione promissa, nō ante pariunt obligationem, quàm si conditio exstiterit, § *ex conditionali. inst. de V. O. L. cedere diem. 213. ff de V. S.* & conditio habetur pro causa. *Gail. 2. obs. 132. n. 4. Schneidw.*
12. *§ sub conditione. n. f. inst. de V. O.* Sicut † E. cessante causâ cessat effectus, ita cessante & deficiente conditione, conditionatum, *Gail. loc. cit.*
13. Maior † probatur *ex l. 1. § 3. ff. de Cond. & demonst.* vbi ICtus Pomp. expressè dicit: inest autē conditio legati, veluti cum ita legamus; fructus, qui ex eo fundo percepti fuerint, heres dato. Vnde Paulus ICtus *in L. inter stipulantem. 83. §. sacram. 5. §. si stipulatus ff. de V. O.* infert: si stipulatus fuero, *ex* fundo centum amphoras vini, expectare debeo, donec nascatur. Similiter Iulianus *in L. 39. in f. ff. de contrah. empt.* cum quis fructum oliuæ pendentis vendidisset, & promisisset decem pondo olei, *quod* natum esset, postea solis quinq; collectis non amplius emptorem petere posse, quàm quinq; pondo olei, quæ collecta
14. sunt. Atq; † hæc omnia videntur inde confirmari posse: licet annuum debitum reg. loq. non sit conditionale, sed purum, *§. at si ita. 3 inst. de V. O.* imò ne quidem in diem, quia annus non differendæ, sed multiplicandæ obligationis gratiâ contractui adijcitur *vide quæ scripsi ad*
15. *d. §. 3.* nihilominus tamen, † si quis ex fructibus alicuius fundi annuū quid dare promisit, non prius ad soluendum conueniri potest, nisi tunc demum, cùm fructus nati atque percepti fuerint, *per L. Firmio 26. §. f. ff. quand. dies. leg. ced.* Schraderus *in tract. suo de contract. rub. de V. O. n. 85. & seqq.*
16. Ratio † quarta desumi potest, ex *l. 5. ff. de trit. vino & oleo leg.* vbi cùm certus numerus amphorarum vini legatus esset, *ex eo, quod* in fundo Semproniano natum esset, & tamen minus natum erat, respondit Iulianus: non amplius, quàm natum erat, deberi. Cum † itá-
17. que etiam venditio censuum, soleat fieri ex prædio, & ex fructibus eius, juxta formulas consuetas. Ich N. bekenne für mich/ all meine Erben vnd Nachkomben/ daß ich käufflich verkaufft/ vnd als bestes vñ beständiges kauffs recht ist/ zu kauffen geben hab/ dem N. zehen Gulden Reinisch in Münz/ jährliches vnd ewiges Zinß/ von vnnd auß meinem Schloß/ oder Wisen/ oder Aecker/ Gärtten/ Weinberg/ oder auß allen meinem Haab vnd Guet/ auch auß dero Einkommen vnnd Gefällen/

Gefällen/so den Zinß wol ertragen mögen vmb 200. fl. &c. E. rectè videtur inferri, si ex eo prædio nulli fructus nascantur, quòd nulli census debeantur. Hoc † enim videtur operari præpositio *De*, siue *ex*, quæ demit partem de toto, vbi autem totum non est, vbi pars esse potest? Ex hac ipsa formula deducitur, quòd habeatur etiam ratio fructuum, siue prouentuum, aliàs frustra illorum mentio fieret, cùm tamen verba † instrumenti ita debeant explicari, vt operentur aliquem effectum. *argt. L. si quando 109. in pr. ff. de leg. 1. L. 1. in f. ff. quod quisq. iuris.* & ne syllaba quidē in ijs debeat esse sine mysterio aliquid significandi, *argto. l. 3. in pr. ibi: nec frustra adijcitur, argto. l. 1. ibi: ius enim ff. quod met. caus.* quid igitur aliud importare possent verba illa: auß dero Einkommen vnd Gefällen/die wol erklecklich seyn/ quàm vt habeatur respectus ad prouentus, vtrùm sufficiant, & vt juxta modum & quantitatem illorum solutio fiat? 18. 19.

Ratio † quinta. Si quis promittit, siue vendit censum annuum, tot videri possent promissiones, vel venditiones pensionum, quot anni: sicut E. tunc, si quis † promittat fructus nascituros, tacitè subintelligitur conditio ista: si qui nascentur, *L. inter stipulantem. 83. §. sacram. 2. ff. de V. O.* ita quoque, si quis promittat singulis annis censum ex certo prædio, videtur singulis annis subintelligi illa conditio, si tamen fructus fuerint prognati. Maior probatur primò: quia † in stipulationibus tot sunt stipulationes, quot sunt summæ, totque stipulationes, quot species siue res, *L. scire debemus. 29. ff. V. O.* E. etiam tot stipulationes, quot sunt anni. 20. 21. 22.

Probatur † secundò à simili: quia si in singulos annos aliquid legatum sit, non vnum, sed multiplex, vel plura legata esse censentur, *L. Vnic ff. quand. dies. vsusf leg. L. si Stichum. 16. ff de V. O. L. cum in annos 10. ff quand. dies leg. ced. l. 4. ff. de ann. leg l. 1. §. 16. ff. ad L. Falcid.* E. etiam si in plures annos aliquid promissum, vel venditum. 23.

Ratio † sexta: communis Dd. sententia est, periculum rei, super qua census locatus est, incumbere emptori, ita vt si absque domini culpa res pereat, totus census corruat, sin autem ob sterilitatem, aliamue causam non tantos fructus proferat, vt integræ pensioni sufficiant, satis sit partem pendere, vide Fachin. *l. 2. controu. cap. 43.* 24.

super

25. *eund. c. 44. in f.* Laynman *d. c. 18.* (vbi † limitat: nisi antecedentium & subsequentium annorum fertilitas compenset) vide eund. *num. 7. vers. neque dici, circ. f.* vbi dicit, pensiones annuas soluendas amplius non esse, si cessante industriâ personæ nulli annui reditus proueniant ex opificio, aut negotiatione, super qua census locatus est; si mercator vel opifex sine sua culpa nullum pluribus annis lucrum capiat, vel opificio, aut negotiatione spolietur, quòd tunc corruat census personalis, néq; pensiones exigi possint *id. n. 8. §. neq; dici.* Eidē in reali.

26. Ratio † septima: in censu reali solùm venditur jus ad fructus rei. E. si casu nulli fructus sint, nihil ex vi contractus debetur, *Lessius lib. 2. c. 22. dub. 12. n. 82.* vel aliter: emptio census merè realis nihil aliud est, quàm emptio juris ad recipiendam partem fructuum, quos res censualis quotannis reddiderit, idque vel in ipsismet fructibus, vel in aliquo æquiualenti; sicut E. pereunte re casu fortuito debitor censûs ex natura contractus deinceps non tenetur ad solutionem census: ita pereuntibus fructibus casu fortuito aliquo anno, non tenetur ex natura contractus ad solutionem pensionis eo anno, sed satis erit, si emptori censûs relinquat, si quos fructus eo anno res tulit, deductis expensis

27. & industria, Mol. *disp. 390. n. 14.* vbi † infert; si census in domo aliqua sit collocatus, eáque ob pestem aut bellum habitari non possit aliquo anno, nulla pensio eo anno debeatur.

28. Ratio † octaua: pensio locationis propter sterilitatem & calamitatem colonis remittitur, *c. propter sterilitatem. extra de locat. L. licet. 8. C. de locat. L. si vno. L. ex conducto. §. si vis. L. si merces, §. vis maior. ff. eod.* E. etiam debitori census ob calamitatem pensio est remittenda.

29. Confirmari † possunt hæc omnia per praxin superiori seculo in Belgio exercitam. Nam Philippus Rex Hispaniarum in edicto suo, anno 1587. vlt Octob. publicato, quo miseris debitoribus, post prouincias Belgicas vastatas succurrit, ita distinxit: vt in censu reali daretur remissio omnium annorum, quibus seri, meti, aut habitari non poterat: In personalibus autem & mixtis, vbi bona non omninò prostrata jacerent, sed vbi notabilis jactura debitoribus obuenisset, dilatio congrua tribueretur; vbi verò omnibus prouentibus excidissent, remissio fieret ad ratam temporis, & proportionem jacturarum, prout infra *p. 2. q. 5.* amplius dicetur.

Atque

Atque hæc sunt breuiter argumenta, quibus stabiliri videtur opinio affirmatiua, videlicet, quòd illi debitores censuales, qui nullos vel exiguos fructus ex prædijs suis perceperunt, pro illo tempore liberi sint à præstatione censuum. Cui fauere † videtur maiori saltem ex parte Salicetus, *ad L. si quis 35. §. 1. C. de donat.* vbi quærit: si reditus annui non sufficiant ex aliquo fundo assignato, an tunc aliunde ex alijs fundis, supplere teneatur, vel saltem ex eodem fundo de perceptis vltra in sequenti anno? & respondet ad primum cum distinctione: aut † enim fundus apponitur ad designationem tantùm faciendam, & tunc suppletur ex alio fundo, *L. quidam testamento, ff. de leg. 1. l. Lucius ff. de alim. & cibar. leg.* aut apponitur ad taxationem, seu limitationem, tunc ex alio fundo non debet præstari, *L. inter stipulantem §. sacram. ff. V. O. L. Firmio in pr. ff. quand. dies leg. ced.* 30. 31.

Ad † alterum similiter respondet, distinguendo: vel promittitur simpliciter certa quantitas, puta 100. corbes frumenti, vel vini, aut quantitas annua. Primo casu, jubet bene ponderari verba, vtrùm quantitas sit simplex, an verò conditionata. Si simplex, v. g. si dicat 100. corbes ex tali fundo, & tunc in sequenti anno debet suppleri. Si conditionata, v. g. si dicat, 100. corbes ex eo, *quod nascetur* in tali fundo, & tunc in sequenti anno non suppletur, *L. cum certum ff. de vin. trit. & oleo leg. L. si debitor §. nec verisimiliter ff. de contrah. empt.* Ratio, quia relatiuum *quod* adiectum verbo futuri temporis, conditionem facit, *L. Stichus quis ff. de leg. 1. L. nuper ff. de leg. 3.* Secundo casu, quando quantitas est annua redituum vel fructuum, tunc suppletur & præstatur ex sequentibus annis, *L. legatum. §. vini phalerni. ff. de ann. leg.* Ratio: quia licet relatiuum *quod* faciat conditionem *si nascatur,* tamen multiplicatio quantitatis & annorum suppleri facit, quod in primo deficit, si in secundo plus nascatur, quàm debeatur. 32.

Pro † contraria autem negatiua opinione, quòd videlicet debitores illi, qui nullos vel exiguos fructus ex agris censualibus perceperunt, à præstatione censuum non sint liberi, facit 33.

Primò † textus *in L. Firmio. 26. in pr. ff. quando dies leg. ced.* vbi cum quis fratri suo dari vellet, & legaret 50. ex reditu prædiorum suorum futuri anni, postea fructibus fini relictæ pecuniæ non perceptis (id est 34.

ex fructibus fundi relictâ pecuniâ non perceptâ, vt Holoander, vel vt Duar. explicat, fini pecuniæ, id est, si ad modum legatæ pecuniæ fructus ex fundo non sit perceptus, vt non sufficiat reditus, ad exoluendam pecuniam legatam) Respondit Papin. vbertatem anni secundi expectandam. Idque ob hanc rationem: quòd non videatur conditio addita, sed tempus soluendæ pecuniæ prolatum. In quo textu † tria,
35. meo judicio notanda sunt, ad propositum non parum conducentia. Primum est, quòd testator dari voluit *ex reditu prædiorum* suorum, vbi tamē *τὸ ex* non inducit necessitatem existentium redituum. Alterum, quòd hoc in loco non præcisè habeatur respectus ad fructus, sed ad pecuniam ex fructibus redigendam, ad eum prorsus modum, qui in emptione censuum obseruari consueuit. Tertium: quòd hîc pecunia vnius tantùm, & non plurium annorum fuerit relicta; cum E. in hoc casu, si fructus non nascantur, vbertas sequentis anni attendenda, quantò magis in complexu plurium annorum, tunc enim quantò minus vno anno nascitur, tantò plus sequentibus annis nasci potest.

36. Facit secundò argumentum deductum ex annuis legatis: Nam si ex reditu fundi annuum legatum relictum est, etiamsi aliquo anno nulli, vel minores fructus ex eo fundo fuerint percepti, tamen eius anni legatum debetur, quemadmodum habemus textum expressum, *in L. legatum. 17. §. 1. ff. de ann. leg.* vbi cum testator ita scripsisset: Vini Falerni, *quod* domi *nascetur*, quot annis in annos singulos binos culeos hæres meus Attio dato. Respondit Labeo ICtus, etiam pro eo anno, quo nihil vini natum est, deberi duos culeos (cum hac limitatione)
37. si modò ex vindemia cæterorum annorum dari possit. adeoque † in annuo legato, quod in fructibus vnius anni deficit, sequentium annorum fructibus supplendum, *Bart. & Gothof. ibid.* Sic E. vnius anni defectus cum præcedentium & sequentium annorum prouentu compensari debet, *gl. ibid. v. annorum, ad quod adducit text. in L. Firmio. 26. in pr. ff. quand. dies leg. ced. L. inter stipulantem. 83. §. sacram. ff. de V. O.*
38. Similiter † cum aliàs testator ita disposuisset: ex eo vino, quod in illo fundo nascetur, hæres meus amphoras decem quot annis in annos singulos dato. Sabinus existimauit, quo anno vinum natum non fuisset,

ſet, ex ſuperiore anno eius fundi eum numerum amphorarum hære-
dem daturum. Quam ſententiam etiam ſibi placere dicit Vlp. ſi vo-
luntas teſtatoris non aduerſetur, *L. ex eo. 13. ff. de triſt. Vino & oleo legat.*
vnde generale dogma † deducunt: quòd ſi legatum non poſſit ſolui 39.
ex fructibus vnius anni, quòd debeat ſuppleri de fructibus alterius
anni. Si E. in † præfatis caſibus, vbi expreſsè fuit habitus reſpectus 40.
ad fructus, eo anno, quo nulli naſcuntur, nihilominus annua præſta-
tio debetur: quantò magis in cenſibus annuis, vbi principaliter non
fructus, ſed jus percipiendi cenſum pecuniarium in conſiderationem
venit.

Facit † tertiò: text. in *L. Lucius. 12. ff. de alim. & cib. leg.* vbi cùm 41.
Lucius Titius libertis ſuis cibaria & veſtiaria annua certorum num-
morum reliquiſſet, & in teſtamento ſuo ob cauſam fideicommiſſi fun-
dos ſuos illum & illum obligâſſet, vt ex reditu eorum alimenta ſupra
ſcripta perciperent: quæſitum fuit, an ſi quando minores reditus pro-
uenerint, quàm eſt quantitas cibariorum & veſtiariorum, hæredes
ad ſupplendam eam onerari non debeant: vel ſi alio anno exceſſe-
rint, an ſupplendum ſit, quòd ſuperiore anno, minus perceperint. Ad
quòd reſpondit Paulus, cibaria & veſtiaria libertis integra deberi, ne-
que ex eo, quòd poſtea prædia pignoris jure teſtator obligare voluit,
vt ex reditu eorum alimenta perciperent, minuiſſe eum, vel auxiſſe
ea, quæ reliquerat, videri. Vbi iterum † aduertendum, quòd teſtator 42.
in hoc caſu non habuerit principaliter reſpectum ad fructus, ſed ad
nummos, & maioris aſſecurationis tantùm causâ prædia aſſignârit,
quo in caſu, minus dubium eſt, quòd fructuum nulla ratio habenda.

Ex quo † infertur, ſi fructus fundi, de quo percipiuntur alimenta, 43.
relicta à teſtatore ſuper illo fundo, non ſufficiunt ad alimenta, quòd
debeant dari alimenta integra, *addit ad Guid. Papa. q. 8.* Vnde Guid.
Papæ. *deciſ. 8.* tale præiudiciū affert, quòd cùm Delphinus conuentui
monialiū pro ſuſtentatione dediſſet decem libras annuas, ſuper furno, 44.
poſtea autem populus ita eſſet diminutus, quòd de dicto furno vix
perciperentur annuæ quatuor, aut quinque libræ, obtinuerit con-
uentus, vt ſibi ſuppleretur, quod deerat ad honeſtam ſuſtentationem.
Neque † dicas hoc eſſe ſpeciale in alimentis, quorum fauore multa 45.

 ſingu-

singularia introducta, vt ostendam in Specialib: jur. com. *v. alimenta,* nam quòd idem extra alimenta receptum & constitutum sit, præcedentia argumenta euidenter ostendunt.

46. Si † dicas, id speciale esse in vltimis voluntatibus (quæ vberiorem explicationem recipiunt, *c. cum dilecti: 6. ext de donat.*) vt si fructus vno anno deficiant, nihilominus pensio præstanda sit, ad hoc, vt

47. voluntas defuncti impleatur. Respondeo, maiorem † rationem dubitandi esse de annuis legatis, quàm de annua pensione ex contractibus debita: quia paulò post dicetur, obligationem annuam ex contractu descendentem vnam esse: at legatum annuum non vnum, sed plura,

48. quippe annuum † legatum pro primo anno purum est, id est, statim debetur, pro sequentibus verò annis conditionale, si viuat legatarius, *L. si in singulos annos. 4. & L. singulis. 8. L. cũ in annos. 11. ff. de ann. & menst. legat.* vide Canis. *de Vsur. & cens. c. 11. §. sunt tertij.* VVesenb. *in parat ff. de annuis & menst. leg. n. 2.* Sed abstrahendo ab hac differentia & ostendendo, quòd idem in contractibus locum habeat.

49. Facit † quartò tex: *in l. stipulantẽ. 83. §. sacram. 5. ff. de V. O.* vbi expressè tradit Paulus ICtus: si stipulatus fuero ex fundo 100. amphoras vini, expectare debeo, donec nascatur (sic E. pura licet stipulatio ex re ipsa dilationem accipit, vt actio differatur, donec fructus per rerum naturam præstari possint, *L. interdum. 73. ff. eod.*) quid si autem vinum natum sine culpa promissoris consumptum sit (puta à militibus, vel hostibus?) tunc Pedius, & post ipsum Paulus ICtus respondit, creditorem rursum expectare debere, donec iterum nascatur, &

50. dari possit. Vnde † iterum à minori ad maius sic argumentari & dicere licet: si tunc, quando vna simplex præstatio ex aliquo fundo facienda est, non liberatur debitor, quando defectus vnius anni potest suppleri per prouentus alterius, quantò magis, si non vna simplex, sed annua præstatio ex fundo debetur.

51. Facit † quintò tex: *in L. si vno. 4. ff. locati.* vbi cùm quis colono dederit ob sterilitatem remissionem, imò amplius, si verbo donationis annuam pensionem dominus ob sterilitatem remiserit, nihilominus si deinde sequentibus annis contigit vbertas, integra pensio, etiam eius anni, quo remisit, soluenda, ad idem ferè est text: *in L. licet. 8. C. de locato.*

Præter

Præter hos text faciunt quoque multæ rationes, quarum

Prima † est ista: In emptione census sors seu pretium non comparatur cum annuo prouentu, sed cum jure prouentum exigendi, Frid. Martini. *c.* 3. *n.* 176. Laynman. *c.* 18. *n.* 3. *in f.* & *n.* 7. §. *neque dici.* Lessius. *l.* 2. *c.* 22. *dub.* 4. *n.* 20. neque emuntur † aut venduntur fructus prædij, sed jus ad pensiones, Frid. Mart. *c.* 8. *n.* 132. & res quæ venit in hoc contractu, est ipsa obligatio præstandi censum annuum, Canis. *de Vsur.* & *cens. c.* 10. *n.* 4. §. *quod autem,* quem interim lucratur emptor, donec eadem pecunia, quâ census emptus est, à venditore reddatur, *id in solut. secundi argei. ibid.* adde Couarr. *Var. resc.* 7. *n.* 2. §. *non oberunt in f.* vbi dicit, jus illud percipiendi annuam pensionem pecuniâ emi, & illud jus pretio magis in hoc contractu æstimari, quàm censum pecuniarium, vide eund. *ibid.* §. *quartum. item n.* 4. §. *at si* E. si saluo prædio ob calamitatem aliquam nulli fructus percipiantur, pensio non propterea remittitur, aut minuitur. 52. 53.

Ratio † secunda: quod in fauorem alicuius inductum est, in odium eius retorqueri non debet, *l. quod fauore* 6. *C. de LL. c. quod ob gratiam.* 6. *de R. I. in* 6 *argt. L. non eò minus* 14. *C. de procur. argt L. si iudex.* 41. *ff. de minor.* atqui quod pro censibus soluendis, domus, terræ, agri, prædia, &c. obligentur, id in fauorem emptorum est introductum, vt etiam alibi dictum, E. hic fauor non debet in odium eorum retorqueri, quod fieret, si prædio obligato nullos fructus ferente, emptor à solutione censuum liberatus esset. 54.

Ratio † tertia: contrariorum eadem est disciplina, *Dd. ad prin. tit. inst. de his qui sunt sui. l.* 1. *in pr. ff. eod.* atqui tunc, quando fructus prædij censualis multiplicantur, non multiplicatur census: E. è contrario, si fructus decrescant, & minuantur, non diminuetur census, quia æquilibrium & justitia contractus censualis non consistit in æqualitate & proportione inter fructus & censum, sed inter pretium, id est, pecuniam aut sortem capitalem & censum. 55.

Ratio † quarta à simili: quia emphyteuta interim, dum res emphyteutica salua manet ex natura contractus soluere tenetur pensionem, non obstante, quòd fructus illius casu fortuito pereant, §. *adeo inst. de locat.* & *cond.* E. etiam venditor census soluere tenetur pen- 56.

sionem

sionem, quamdiu res censualis salua manet, etiamsi fructus illius casu fortuito pereant.

57. Ratio † quinta: si census non deberentur, quando agri fructus non ferunt, tunc sequeretur, quòd etiam melioribus temporibus census constituti super illis agris, à quorum cultura tertio quóque anno vel ex consuetudine, vel ex statuto loci (vt videlicet alio anno vberiores fructus reddant) cessari debet, die man feyren vnd in dem Brach legen lassen mueß/ non deberentur, quod est contra receptum morem, & quotidianam praxin. Sequela autem probatur: quia non stat per ipsum dominum agri, quò minus colat, vt ita ei imputari nequeat culpa vel neglectus, de quo in principio statim huius quæ-

58. stionis in supposito actum est. Vel † aliter: si melioribus & tranquillis temporibus ex fundo censuali minùs percipitur, quam sit quantitas ipsius census, v. g. si super domo census constituatur, & toto illo anno nullus inquilinus reperiatur, nemo dicit, censum non deberi, vel remittendum esse. E. etiam calamitosis temporibus non debet asseri, alioquin enim non tam propter deficientes fructus, quam propter temporis calamitates, census remittendi, vel indebiti dicendi essent.

59. Ratio † sexta: quia in opinione censiti est, vel pensiónem soluere, vel prædium censuale sterile deserere, censitori relinquere, atque eâ ratione se ab onere census liberare, Frid. Martini *cap. 8. n. 228. in f. n. 234. & seqq.* sed de pondere huius rationis vide sup. *quæst. 9.* per totum.

60. Quid † in conflictu horum textuum & rationum statuendum? Respondeo, distinguendum esse, inter census personales hypothecâ subnixos, Reales & Mixtos, deinde inter jus positiuum ex Bulla Pij V. introductum, & inter illud, quo communiter vtimur. Tertiò videndum, an res sit prorsus infructifera facta, an verò tantùm ad tempus fructus non tulerit. Quartò: an omninò nullos, an verò pauciores solito, vel pauciores, quàm sit quantitas census. Quintò, vtrum pactum aliquod inter contrahentes intercesserit, nec ne?

61. CONCLVSIO † PRIMA: In censu personali, hypothecâ subnixo, & mixto, non liberatur debitor propter defectum fructuum.

Ratio:

Ratio: qui non liberatur per interitũ ipsius rei, vt superiori quæstione explanatum, E. multò minus per interitum fructuum. Itaque quæstio tantùm de censibus merè realibus procedit.

CONCLVSIO † SECVNDA: Si res in totum, vel pro parte omninò infructuosa efficitur, tunc ex bulla Pij V. census in totum, vel pro rata perit, ita in terminis bulla ℣. *postremò claus.* 8. v.g. si dimidia, tertia, aut quarta pars omninò infructuosa reddita est, perit census in eadem proportionali parte, hoc est, in dimidia, tertia, quarta, aut alia simili parte; Mol. *disp.* 391. *claus.* 8. n 3. Eman. Sa. ℣. *census.* n. 1. Lessius *dub* 12. n 88. Declara: vt † tunc dicatur infructuosa, quando impotens facta est ad fructus in futurum reddendos, quemadmodùm infr. in resp ad bullam Pij V. fusiùs indicabo, non quando propter sterilitatem, aut alium casum fortuitum non producit fructus consuetos. Ampliatur † autem hæc conclusio: etiamsi ex reliquo, quod adhuc fructuosum relictum est, longè plures fructus percipiantur, quam qui ad pensionem integram soluendam sufficiant, Mol. *disp.* 391. *claus.* 8 n 7. ℣. *est* *hoc Verùm.* Ratio huius † conclusionis est: quia partem interemptam esse, vel adhuc saluam infrugiferam redditam. Vnde, quæ dicta fuerunt in superiori quæstione de interitu rei, vt vel totalis, vel partialis diminuat census pro rata, ex bulla Pij V. eà huc quoque rationabiliter accommodari possunt. 61. 63. 64. 65.

CONCLVSIO † TERTIA: In locis vbi bulla Pij V. non est recepta, vti apud nos in Germania, re pro parte infructuosà redditâ, non perit jus census. Ratio: quia re pro parte prorsus interemptâ non perit, vt sup *q.* 11 *conclus.* 8. dictũ E. &c. Si † autem in totum infructuosa reddatur, æquitas postulat, vt census remittatur. Ratio: quia paria sunt rem non esse, & in totum inutilem esse, per trad. Gail. 2. *obs.* 23. n. 23. Rigor † autem juris desiderat census adhuc præstari; quia subiectum census adhuc saluum est, & ex probabili Dd: opinione ab initio super re omninò infructifera constitui, E. etiam conseruari potest, si postea infrugifera reddatur. 66. 67. 68.

CONCLVSIO † QVARTA: Si res censualis non in perpetuum, sed tantùm ad tempus est infrugifera reddita, v.g. si saluo prædio duobus, tribus, aut pluribus annis fructus non percipiuntur, an- 69.

nua pensio non est propterea minuenda, aut remittenda, Frid. Mart.
70. *c.* 8. *n.* 231. vbi rationem præter supra allegatas talem reddit: quia † nul-
lo jure cauetur, quòd ob paucorum annorum sterilitatem pensio re-
mitti debeat, Felician de Solis. *l.* 1. *c.* 8. *n. f. §. pen.* vbi dicit: vbique so-
norum receptum esse, non curari fundi suppositi censui sterilitatem.
Concordat Eman. Sa. *§. censu. n.* 8. vbi ait, etiam anno, quo nullus
colligitur fructus, soluendus est census. An hoc ipsum procedat ex
dispositione Bullæ Pij V. vide apud Mol. *d. claus.* 8. *n.* 3. Lessium. *dub.*
12. *n.* 88. vbi subobscurè affirmare mihi videntur.

71. Conclvsio † Qvinta: Si prædium aliquo tempore,
vel etiam perpetuò pauciores ferat fructus, quàm tempore constitu-
tionis ferebat, integri nihilominus census sunt præstandi, Frid. Mart.
c. 8. *n.* 235. Ratio: quia non est idem, prædium perire, & pauciores
72. fructus nasci.. Amplia † id etiam ex bulla Pij V. procedere, quia
quamdiu res integra vel frugifera manet, pensio integra debetur, si-
ue secundùm se totam fructificet, siue secundùm partem, & siue de-
bilior ad fructificandum sit reddita, siue potentior, siue in eodem sta-
tu permaneat, Molin. *disp.* 391. *claus.* 8. *n.* 3. *§. quamdiu verò.* Amplia
73. † secundò: vt integra pensio debeatur, ex paucioribus fructibus na-
tis, etsi nihil domino prædij remaneat, *id. Mol. ibid. § in priori.* Ra-
74. tionem † reddit *disp.* 390. *claus.* 4. *n.* 14. quia in fructibus rei, in qua
census est collocatus, emptor census ex natura censualis contractus
est præferendus domino rei illius, ita vt primum, quod ex fructibus
est detrahendum, sit pensio, & id solùm, quod remanserit, pertineat
ad dominum rei, quæ eos fructus affert. Consentit Lessius *dub.* 12.
num. 82. vbi ait: quòd si aliqui sint fructus, hi debeantur emptori
census, nec dominus rei, quidquam ex illis percipere possit, nisi in-
tegrè emptori sit satisfactum.

75. Conclvsio † Sexta: si fiat pactum inter contrahentes,
vt debitor nihilominus teneatur soluere census, etsi fructus continge-
ret perire, tunc ex dispositione Bullæ non valet, Lessius *l.* 2. *c.* 22. *dub.*
76. 12. *n.* 82. per Rationem: † quia conuentiones directè aut indirectè
obligantes ad casus fortuitos eum, qui aliàs *ex natura contractus* non
tenetur, nullo modo valere voluit, quemadmodum in claus. 4. in
terminis

terminis continetur: & de hoc ipso casu fortuito circa fructus rei à Molina explicatur, *disp.* 390. *n.* 13. & 14. Sed miror, † cur Molina 77.
explicet clausulam quartam de interitu fructuum, quasi voluerit Pius V. Pontifex annullare pacta, quòd si fructus aliquo anno casu fortuito pereant, teneatur nihilominus debitor soluere pensionem census, & cur non potius de interitu rei, in qua census est collocatus, (quemadmodum Lessius *dub.* 12. *n.* 81.) cum interitus fructuum, & casus fortuitus circa eos contingens, non sit talis, de quo non debeat debitor *ex natura contractus* teneri, quemadmodum in conclus. 4. dictum fuit. Deinde † ipse Molina *d. num.* 3. *claus.* 8. §. *obserua.* fatetur, longè aliud 78.
esse, rem in parte perire, aut infructuosam reddi (de quibus casibus Bulla Pij V. loquitur) & propter sterilitatem aut alium casum fortuitum non producere fructum: cùm E. citra pactum sterilitas & defectus fructuum noceat debitori, cur non magis peculiari pacto superueniente?

Sed † abstrahendo à Bulla Pij V. nullum dubium est, quin emi 79.
possit census super prædio eâ lege, vt etiamsi prædium minus aliquando ferat, vel nihil, teneatur nihilominus venditor talem pensionem soluere, *Lessius lib* 2. *c.* 22. *n.* 23. Ratio: quia † si citra pactum 80.
adhuc tenetur, multò magis per pactum se ad eam soluendam obligare potest. Ratio alia: quia si valet pactum, vt pereunte re, adhuc debitor census ad integram pensionem teneatur, Molin. *disp.* 391. *n.* 4. §. *si autem census*, cur non valeret, vt pereuntibus vel deficientibus tantùm fructibus obligetur? vide eund. *disp.* 390. *n.* 15.

Tempus est vt ad argumenta contraria respondeam. Ad Bullam † 81.
Pij V. respondetur primo, illam apud nos in Germania non receptam, ac proinde parùm attendendam esse. Ita vt dicant, quòd etiam prædio censuali pro parte perempto nihilominus census debeatur, vide Frid. Martini *c.* 8. *n.* 225. & quæ scripsi *q.* 11. *conclus.* 8 Respondetur secundò: non ex eo † rem dici redditam infructuosam, quando duo- 82.
bus, tribus aut pluribus annis fructus non fert, sed quando impotens facta est, ad fructus in futurum reddendos, vt quia prædium non ad tempus vi tempestatis, sed simpliciter, & absque spe remedij, à mari occupatum est, aut quia fluuius cursum suum mutauit, alueus-

que per eum alium locum fecit, vel quia domus, in qua census erat collocatus, corruit tota, aut exusta est: Mol. *disp.* 391. *claus.* 8. *num.* 3. Eodem modo respondetur etiam ad Extrauag. Calixt. III.

83. Ad † Rationem primam Resp. Dd. illos, qui in ea opinione sunt, pro fundamento suo supponere Bullam Pij V. in loco receptam esse, quæ cùm apud nos recepta non sit, totum illorum fundamentum corruit, consequenter omnia, quæ ei sunt superstructa & superædificata, *argt. c. cum Paulus. 26. c. 1. q. 9. argt. L. ergo. 26. §. 1. ff. de except. rei ind.* Insuper illa ipsa opinio non ita est communis, vt non habeat suos contradictores, *vide Eman. Sa loc. cit. num. 6.* aliud responsum peti potest ex ratione decid. 5.

84. Ad Rationem † secundam Resp. incertum per æque incertum non probari, *Apostilla ad Schneid. §. cùm autem emptio. inst. de empt. & vend.* atqui æque dubium & incertum est, vtrùm re pro parte peremptâ pro parte pereant census, nec ne; imò probabile est, non perire, vti præcedente *quæst. 11. conclus. 8.* dictum fuit. E. Aliter † respondent illi, qui

85. concedunt, census pro parte interire, quòd longè diuersa sint, rem in qua census est collocatus, propter sterilitatem, aut alium casum fortuitum non producere fructus consuetos, sed longè pauciores, & eandem rem in parte perire, aut infructuosam reddi. In priori enim euentu integram pensionem deberi ex ijs fructibus, si ad id sufficiant, etiamsi nihil domino prædij remaneat; in posteriori verò solùm deberi pensionem pro rata eius, quod ex re, in qua census est collocatus,

86. remanet. Et hoc † verum esse, etiamsi id, quod remanet ex re censui subiecta plures fructus ferat, quàm qui ad pensionem integram soluendam sufficiant, Molin. *loc. cit.* vbi rationem diuersitatis addit: quoniam census est jus in re censui subiecta, vnde re pro parte peremptâ aut infructuosâ redditâ pro parte etiam census perimitur, quamdiu verò res integra manet, pensio illa debetur, siue res secundùm se totam fructificet, siue secundùm partem, & siue debilior sit facta ad fructificandum, siue potentior.

87. Ad Rationem † dubitandi tertiam Resp. primò, negando, quòd census intuitu fructuum promittantur, alioquin enim super re infrugifera constitui non possent, quod est contra suppositum meum, & tra-

& tradita supra *n*. 2. Resp. secundò, ad probationem maioris: in omnibus textibus † allegatis promissos vel debitos fuisse fructus, in quo casu hic non versamur, suppono enim censum esse promissum, non materialiter, sed formaliter sumptum. Resp. tertiò, neq; † tunc, si fructus futuri promittantur, neque in altero casu, si ex reditu prædiorum aliquid debetur, dici posse, illud promissum vel debitum esse conditionale, sed solummodo ad diem. Prior † pars responsi manifestè deducitur, *ex l. interdum. 73. ff. de. V. O.* vbi cum quis fructus futuros promisisset, respondit ICtus, istam promissionem non esse conditionalem, sed esse puram, ita tamen, vt ex re ipsa dilationem capiat, & vt tunc incipiat actio, cùm fructus per rerum naturam præstari possunt, *Vide. L. inter stipulantem. 83. §. sacram. 5. ff. de. V. O.* Ex quo † sequitur, quòd fructibus non natis non cesset, aut concidat obligatio, tanquam conditione deficiente, sed quòd expectare creditor debeat, donec nascantur, & si nati sine culpa consumpti sint, rursum expectare debeat, donec iterum nascantur, & dari possint. tex. *in L. inter 83. §. sacram. & si stipulatus ff. de V. O.* Posterior † pars responsi expresse habetur in *L. Firmio. 26. in pr. ff. quand. dies leg. ced.* vbi cum quis legâsset ex reditu prædiorum suorum futuri anni: respondit Papinianus non videri conditionem adiectam, sed tempus soluendæ pecuniæ prolatum, ita vt, licet fructus pecuniæ respondentes non percipiantur, anni sequentis fructus attendendi sint. Simile quid vide in *L. legatum. 17. §. 1 ff. de an. leg. L. ex eo. 13. ff. de trid. Vino & oleo leg.* Et hæc † vera sunt, nisi ex verbis voluntas testatoris, vel promissoris aliter colligi possit. Ad textus in contrarium † allegatos, videl. *ad L. f §. f. ff de cond & demonst.* respond. Gothof. ibid. quòd verba ibi posita, quasi taxationis vicem obtineant, *argt. d. L. 5.* Eodem modo resp. gl. *ad L. 39. ff de contrah. empt. ibid* verba *quod natum esset* causam taxationis obtinere, quemadmodum illa: quod admensum, *L. 4. §. 2* quidquid ad te peruenit. *L. 41. §. 1. ff. de leg. 2. Gothof. ad d. l. 39.* qui ex Bart. notat, relatiuum qui, quæ, quod, junctum verbo futuri temporis facere conditionem, vt perinde sit, *quod natum erit* atque illud *si natum erit* & in tali forma relatiua inducere conditionem distributiuè, id est, quatenus natum erit, siue in totum, siue in partem. Vide notata supra n. 32.

88. 89. 90. 91. 92. 93. 94.

95. Ad Rationem † quartam responderi potest, Iuliani responsum non fundari in verbis *ex eo*, sed in alijs, *quod natum esset*, quasi taxationis vicem obtinerent hæc verba, quod natum erit, *d. l. cum certus.* §. *ff. de trit. Vino & oleo leg. Gothof. ad L. Firmio. 26. in pr. lit. d. ff. quand. dies leg. ced.* nam † citra hoc annua pensio legata præstanda est ex fundo,
96. licet vno aliquo anno nulli fructus fuerint nati, *L. ex eo 13. ff. eod. tit. L. legatum. 17. §. 1. ff. de ann. leg.* idque pro regula agnoscit gl. in *L. Firmio. 26. in pr.* §. *& fructibus*, hoc autem pro † exceptione reputat, si
97. aliud apparet ex mente testatoris, vt *in d. l.* §. quam exceptionem etiam Vlp. tradit *in L. ex eo. 13. ff. de trit. Vin. & oleo leg.* ibi si voluntas non aduersetur.

98. Deinde † Resp. non esse promissum, neque solere promitti in contractu censuali, quod ex fundo, super quo census constituitur, natum erit, sed pecunias plerumque, imò censum non materialiter, sed formaliter sumptum, videlicet pro jure percipiendi annuam pensionem. Item quando census venditur *ex eo*, non est sermo de fructu, sed de ipso prædio.

99. Ad † formulas obligationis censuum, quod attinet, Resp. eas vel ab imperitis scribis & notarijs factas, multas superfluas clausulas (secus atque leges, de quibus tex: allegati loquuntur) continere; vel à viris doctis confectas esse, qui non nostræ, sed contrariæ opinioni innituntur: vel dici potest, cum census non tantùm super rebus immobilibus constitui possit, sed etiam super ijs, quæ immobilibus accensentur, verbis illis: auß dero Einkommen vnd Gefällen illud significari, quòd census non tantùm super ipso fundo, sed etiam super fructibus & reditibus fundi sit constitutus, cuius constitutionis illa est vtilitas, quod actio contra possessores fructuum procedat, & quia res mobiles facilius emptorem inueniunt, quàm immobiles, emptor tantò citius præstationem pecuniariam consequi possit.

100. Ad Rationem † quintã Respondetur negando, quòd tunc, si quis vendat annuum censum, tot videantur venditiones, quot anni. vide Iacob. Venent. *de ann. præst. p. 2. q.*

101. Ad vltimam † de stipulatione Resp. 1. verum quidem esse, quòd rei loquendo, tot censeantur diuersæ stipulationes, quot res diuersæ.

L. scire.

L. frint. 19. ff. de V. O. (vide tamen exceptiones in eadem *L. in pr. §. tamen*) aliud autem in emptione, in qua † si duæ res emantur vno pretio, 102.
vna censetur esse emptio, *L. si duos. 44. ff. de contrah. empt.* si duplici pretio, duæ; *argum. L. cum duo. 17. ff. de in diem addict.* ita vt multum interfit, si plures res vendantur, in vniuersas, an in singulas pretium constituatur, *L. cum eiusdem 34 ff. de adil. edict.* Nos autem hic versamur in materia non stipulationis, sed emptionis censuum, de qua assertiones nostræ potissimum procedunt. Resp. secundò: licet † 103.
tunc, quando plures res promittuntur, plures censeantur stipulationes: aliud tamen est, si in plures annos aliquid promittatur, *per text. expressum in L. si Stichum. 16. § 1. ff. de V. O.* vbi Pompon. IC. stipulatio, inquit, huiusmodi *in annos singulos* vna est & incerta, & perpetua. Ex quibus verbis deprehenditur, annuam † promissionem, licet sit 104.
plurium pensionum, & præstationum, esse vnam simplicem, & puram, non multiplicem, neque conditionatam, *§. at si ita. 3. inst. de V. O. Gothof. ad l. 16.* vide quæ scripsi *ad d. §. at si ita 3. inst. de V. O in tract. extraoreg. de contract.* vbi notaui, esse vnam simplicem promissionem, & sine partibus, ita vt annua præstatio tantùm contineat plura facta vnius debiti, quemadmodum perceptio, quæ fit quot annis ex vsufructu, vnius est, & eiusdem vsusfructus, *L. vnic. ff. quand. dies vsufr. ced.* Nam si promittis 10. aureos perpetui reditus in singulos annos, nemo ambigit, quin vna sit stipulatio, quæ vim suam quot annis extendat. Itaque non † est par & eadem ratio, plures res promittere, & 105.
in plures annos promittere, & longè discrepant diuersitas temporis & diuersitas rerum, atque quantitatis, vide quæ scripsi *ad §. fin. inst de duob. reis stipulandi.*

An instantiam † de legatis dico, non omninò indubitatum esse, 106.
quod tunc, quando in singulos annos aliquid legatur, plura sint legata, propter textus si non contrarios, saltem diuersimodè loquentes. Nam *in L. Firmio § f ff. quand. dies. leg. ced.* expressè habetur: cùm pater annua quædam ex fructu bonorum, quæ vxori legauit, juberet filio præstari, respondisse Papinianum, non plura, sed vnum esse fideicommissum, certis pensionibus diuisum; vbi notat Gothof. plures præstationes vnius loco haberi. In contrarium † verò, quòd le- 107.

gatum annuum non sit vnum, sed multiplex, deducitur *ex L. nec semel 12. in pr. ff. quando dies leg. L. vnic. ff. quando dies vsusf. leg. cedat. L. Stichum 16. ff. de V. O. L. senatus 35. §. f. ff. de Mortis causa donat. L. cum in annos 10. ff. quand. dies leg. l. 4. ff. de ann. leg.* & hanc Sabini sententiam veram esse dicit, Paulus *in d. l. 4.* VVesenb. *in parat. n. 2. ff. de ann. & menst. leg.*

108. Hinc † non decium ex Dd: qui putant, inter præstationes annuas ex stipulatione, vel alio contractu descendentes, & eas, quæ ex legato debentur, hanc esse differentiam; quòd præstatio annua ex contractu vna sit, at legatum annuum non vnum, sed plura, *per tex. in d. l. 35. § f. ff. de mortis causa donat. L. Stichum aut Pamphilum. 10. ff. de V. O. Henr. Canis. de Consib. c. 11. fol. 188. §. sunt tertij.*

109. Ratio differentiæ † habetur, *L. si Stichum. 16. ff. de ann. leg.* quia legatum annuum morte legatarij finitur, annua promissio non finitur.

110. Ratio rationis: quia † in contractibus sibi & suis hæredibus quisque prospicere intelligitur, *L. veteris. C. de contrah. stipul. L. si pactu ff. de probat.* sed in legatis censetur testator ipsi tantùm legatario, non etiam ipsius hæredibus voluisse consulere, cum legata propter bene merita relinquantur, *L. nec adiecit. 5. ff. pro Socio. VVesenb. n. 2. ff. de ann. leg.*

111. Alij † verò existimant non quoduis legatum annuum multiplex censeri, atque ita suspendi, sed tantùm illud, quod est alimentorum causâ relictum, adeoque aliquid peculiare esse in alimentis legatis, *per tex. in L. si cum præfinitione. 20. ff. quando dies leg.* vbi cum Titio dena vsque ad annos decem legata essent, Iulianus, & post ipsum Marcianus respondit, interesse, vtrùm alimentorum nomine legatum fuerit, tunc enim plura esse legata, & legatarium mortuum futurorum annorum

112. præstationem ad hæredes non transmittere (quia † alimentum defuncti, vnà cum eo cessat; *VVesenb. n. 2. ff. de ann. leg.* & præsumitur testator ad alendum legatarium diuisisse legatum, *id. ibid. n. 2.* item quia is, qui pendente conditione moritur, ad hæredem legatum non

113. transfert, *Gorhof. ad d. l. 20.*) Si verò † non pro alimentis legauit, sed in plures pensiones diuisit, exonerandi hæredis gratiâ, hoc casu (cùm præstatio diuisa fuit fauore hæredis) aiunt, omnium annorum vnum esse legatum, & ita decedentem legatarium etiam futurorum annorum legatum ad hæredem suum transmittere. Quam Iuliani senten-

tiam

tiam dicit Marcianus verâ esse. In † dubio autē præsumi alimentorū 114.
causâ legatum fuisse, putat Wesenb. *in parat. n. f ff. de ann. & mens. leg.*
Sed † quid intersit, vtrum vnum sit legatum, vel plura, vna stipulatio, 115.
venditio, &c. vel plures? Resp. Dd. multum interesse; nam inprimis
(quoad nostrum propositum) si vna est stipulatio & promissio, vel
vna venditio annuarum pensionum, tunc inferunt: si melioribus temporibus fuit valida & efficax, & debitor tempore vbertatis ad censuum
solutionem obligatus, etiam alijs calamitosis temporibus talis erit, &
manebit. Vna enim & eadem res diuerso jure censeri non debet,
L. enim qui ades. 23. in pr. ff. de Vsurp. & Vsucap.

Deinde † si promissio vel venditio annui census est vna, & simplex, sequitur, quod sit pura, non conditionata, sicut è contrario legatum quia multiplex, primi anni purum est, & statim debetur: *l. 4. ff. de ann. leg.* reliquorum conditionale, *L. si in singulos annos. 4. & l. singulos. 8. ff. de ann. & menst. leg. Gothof. ad l. 16. ff. de V. O.* hoc est, si legatarius viuat, Canis. *loc. cit. de Cens. c. 11. fol. 188. §. sunt tertiò.* vnde porro deducitur, non rectè inferri, quod singulorum annorum præstationes habeant illam conditionem; si fructus nascantur, ita vt deficientibus fructibus deficere debeat obligatio. Porro † in stipulatione annua 117.
semel, in legato, quot annis jus capiendi inspicitur, *Gothof. l. c. Vide eund. ad L. senatus. 35. §. f. ff. de mort. causa. donat.* in legatario singulis
annis capacitatem inspicimus, & per singula legata, *L. cum in annos. 11. ff. de ann. leg.* in stipulationibus initio capacitatem fuisse satis est,
Gothof ad L. si in singulos. 4. ff. de ann. leg. Denique † præstatio annua ex 118.
contractu, quia vna est, idcirco vnica præscriptione tollitur: at quia
legatum non vnum, sed plura, ideo tot dicunt esse præscriptiones,
quot sunt anni. vide Balb. *de præscript. p. 4 pr q. 4.* quamuis plerique
alij contrarium teneant. de quibus vide Canis. *d. c. 11. fol. 188 § nec monet,*
vbi dicit, quoad præscriptionem æquiparari stipulationem annuā, &
legatum annuum: tametsi enim stipulatio annua sit vna, atque vna
ex ea nascatur actio pro omnibus annis, inspecto tamen effectu sunt
plures anni, cùm ante diem sequentium annorum agi non possit. Itaque vniuscuiusque anni propria est præscriptio, & quot sunt anni,
tot sunt præscriptiones, Myns. *cent. 3. obs. 13.* vide Wesenb *n. 5. ff de ann. leg.* vbi aliter de hac præscriptione tenuit. Verùm hic non moror,

ſed ne terminos inſtituti mei nimium egrediar, his relictis, & occaſionaliter tantùm tactis, iterum ad me reuertor.

119. Ad ſextum † reſpondeo, Dd. illos niti hoc fundamento, quòd cenſus non niſi ſuper rebus frugiferis conſtitui queat, & quòd cenſus ab vſuris non poſſet diſtingui, niſi diceremus, re cenſuali in totum vel pro parte peremptâ, aut ſterili factâ, etiam in totum vel pro parte perire; quorum primum in *q. 2.* alterum autem in *q. 1. n. 65. & ſeqq.* adductis alijs authoritatibus refutatum fuit.

120. Ad Rationem † ſeptimam reſp. in cenſu reali, vendi jus cenſûs, cum aſſignatione certi prædij, abſtrahendo an ex fructibus illius prædij, vel vndecunque cenſus ſoluatur: etſi pereat fructus, non tamen perit ex parte emptoris jus percipiendi, & ex parte poſſeſſoris obliga-
121. tio ſoluendi. Nego deinde † emptorē cenſûs eſſe adſtrictū ad cenſus,
122. quos res cenſuales reddiderit, *vide quæſt. 2. n. 106. q. 4. n. 103.* Ad interitum † prædij cenſualis dico, cenſum merè realem perire tanquam deſtructo ſubiecto & fundamento, quod quia manet fructibus tantùm
123. deperditis, non mirum eſt, jus cenſûs ſaluū manere. Quantū † deinde interſit, inter deſtructionem & interitum ipſius rei cenſualis, atque inter ſterilitatem vel fructuum defectum, videre poterit lector apud Molin. *diſp. 391. n. 3. §. obſ. &* eundē cum eodē *in diſp. 390. n. 14. §. cum*
124. *enim* conciliare. Ad Rationem octauam † reſpondet Frid. Martini, magnam eſſe differentiam inter locationem & emptionem cenſûs, in locatione pecunia, vel alia res, datur principaliter pro fructibus, & eorum menſura, copia, & in fructuum recompenſationem: at in cenſu non emitur fructus, ſed jus cenſûs: vnde non mirum, quòd in illo caſu ob calamitatem remittenda ſit penſio, hoc verò minimè.

125. Ad praxin † in contrarium allegatam Reſp. me hoc loco agere non de eo, quid ex peculiari ſtatuto, vel nouâ lege induci poſſit (de hoc enim infra *p. 2 q. 5.* tractabo) ſed quid jure communi inſpecto prouiſum ſit, vel quid ex legibus in corpore juris contentis erui poſſit. Sa-
126. liceti † ſententiam ſuo loco relinquo, atq; illam magis pro negatiuâ quàm affirmatiuâ facere dico: quemadmodùm ex rationibus decidendi, & reſponſis ad rationes dubitandi, ſatis manifeſtè apparet.

F I N I S.

INDEX QVÆSTIONVM
PARTIS PRIMÆ.

V 2 *ditore*

ditore census, liceat conuenire possessorem rei censualis?

IX. *Vtrùm dimissis bonis censiticis possit aliquis se liberare à præstatione censuum?*

X. *An creditor, siue emptor census, possit loco annuarum pensionum, & censuum, petere prædia, & tam ipsum venditorem, quàm tertium possessorem cogere, vt dimittat rem censualem?*

XI. *Vtrùm prædio censuali perempto extinguatur ius census?*

XII. *Vtrùm illi debitores censitici, qui nullos vel exiguos fructus ex prædijs perceperunt, pro illo tempore liberi sint à præstatione censuum?*

APRO-

APPROBATIO THEOLOGICA.

Etsi jam belli ciuilis Exitum, quàm Præludium, malint Boni omnes, qui tamen hoc Præludium belli ciuilis, à Nobili & Clarissimo Viro, Domino Casparo Manzio I. V. D. & Professore Ordinario conscriptũ legerit, amabit: nec enim classicum canit, sed receptui, nec bella mouet, sed mota componit, dum sine vllo fidei ac morum præiudicio, vtilissimam & arduam de censibus materiam accuratè pertractat, & ita clarè illam suis difficultatibus euoluit, inter diuersa DD. placita tam dextrè incedit, rationum ac legum momenta tam maturè, & nostris temporibus conuenienter expendit, vt multam pacem ac tranquillitatem post tot nubila vtrique fore adferre posse videatur. Quare lucem publicam meretur, & propugnatorem sanguine, virtute, & Doctrina Nobilem, in quo nempè appareat, optimum Nobilitatis esse censum, nulloque pretio redimibilem, scire IVS *& facere.*

Ita censeo

LEONARDVS BILDSTAIN è Societate IESV, SS. Theol. Professor Ordin: & pro tempore Decanus.

APPROBATIO IVRIDICA.

Hoc belli ciuilis Præludiũ, (bellinè an pacis Præludium dicam?) primâ sanè fronte nihil nisi bella ciuilia spirat, & magnum nescio quid litui sonat: ex altera verò parte tam benignâ æquitate, tamq; methodicâ & solidâ eruditione hinc debitorum morositatem, & illinc creditorum nimium rigorem ita feliciter attemperat, vt vel ex hoc capite, si alia taceam, publicâ concertatione dignissimum putem, vnde suum victor decus immortale reportet.

IOANNES IACOBVS LOSSIVS I. V. Doctor, Institutionum Professor Ordin. & pro tempore Facultatis Iurid. Decanus.